


Kozga wybawiß ze dzieczie zpuchu

Do Pana K

Konÿ

Studenta



RAMVS,
SIVE
ENODATIO
PERSPICVA TOTIVS PHILOSOPHIÆ RAMEÆ, VT ET DEMONSTRATIO IMPIETATIS, Errorum, & Iniquitatum Sectæ ARISTOTELICÆ, Dissertationibus Peripateticis PHILIPPI SCHERBII, opposita:

Vnà
CVM DISCVSSIONE INTRICATARVM & obscuriorum Philosophiæ Disputationum.

HIS RECENS ACCESSERE

1. *Vita & Encomium* P. RAMI.
2. *Methodus artium & Disciplinarum.*
3. *Methodus Ramea informandi adolescentes.*
4. *Disputatio de libertate Philosophica.*
5. *Disputatio, an* Ramei *sint* Caluiniani, *& num* PHILIP. MELANTHONEM *contemnant.*
6. Refutatio *solida* Iudicij Iusti Lipsij *de* Ramo *vnà cum* Testimonijs *Cl. virorum* Rami *causam propugnantium.*

AVTHORE
HENNINGO RENNEMANNO
PHILOSOPHO.

Cum Priuilegio Cæsareo.

FRANCOFVRTI
Typis Ioachimi Bratheringij, Sumptibus Ioannis Spiessij & Ioan. Lud. Bitschij.
ANNO M. D. CIII.

V

SP

CTR

aucto

simo

FAC

Se



Philos

mistas

ac Phi

Altorf

vel am

virtute

omnes

nævos

VIRTVTE SPLENDIDA, DOCTRINA PRAECLARA, ET auctoritate ſumma præſtantiſſimo viro, Dn. GVILHELMO FACHAEO, D. Iuriſconſulto, & Senatori Erfurtenſis Reip. Primario, Fautori colendo.



ORTASSE PERVENIT ad aures ſaltem tuas, ſi non & oculos, virtute, doctrina, & auctoritate præſtantiſſime Vir, colende Fautor, illa pro Philoſophia Peripatetica aduerſus Ramiſtas Dn. Philippi Scherbij, Medicinæ ac Philoſophiæ Profeſſoris in Academia Altorfina Diſſertatio: qua, neſcio quo vel amore nimio, vel odio concitatus, virtute & doctrina præclarus alioqui vir, omnes Ariſtotelis & illius interpretum næuos omnibus excuſationum colori-

bus vndiquaque conquisitis curiosè satis occultare : Petrum verò Ramum & ipsius adseclas multis conuiciorum scommatumque plaustris obruere, ambitionis eùm, superbiæ, temeritatis, & horrendæ, quod omnium maximum est, in artes liberales inuectæ confusionis, coram orbe literario reum facere sibi laudi duxit: illius omnia etiam non ita sanâ ad cœlum vsque vehens : huius etiam bona deturbans, & ad orcum condemnans omnia. Quod cùm sit vtrobique peccatum non leue, neque parum Petri Rami & ipsius Philosophiæ apud imperitos existimationem lædat: mirum fortasse videri potest alicui, quid causæ sit: cur ipsius Sectatores & discipuli, cùm plerique se fortiter omnibus, etiam non ita magni precij, qui quid acerbius in eum dixissent, opposuerint : huic tanto cum spiritu tam minaciter insultanti, siuerint hoc impunè ferre.

Quamuis enim consultius sæpè sit, & generoso dignum pectore : leues aliorum calumnias mussitando negligere : & illud, quod eiusmodi nugis impenditur

tur

tur refutandis, meliùs collocare: attamen hoc in negocio cur ita mihi non videatur, hæc vrget magnopere cauſa: quòd Reipublicæ literariæ multum interſit: veras docendi, diſcendique methodos, contra vagas ambages, & deuios quorundam circuitus, ſi quos obtrudere conentur, accuratè defendiſſe. Nam quî fieri poteſt, vt, qui compendioſam & veram rectè progrediendi ſemitam nondum ſatis ſolidè contriuerunt, ita circumſpectè pedes proferant. vt horum, qui regia via relicta per ambages auias, & obſcuros errorum labyrinthos oberrare vagantes malunt, indice ſeducti non velint exorbitare ſaltem, ſi non prorſus in diſcurſationes dilabantur irremeabiles? Maximè cùm nullius vnquam tanta fuerit innocentia, tanta vitæ integritas: cui non aliquid per calumnias audacter iniectas adhæſerit, κἂν μὲν θεραπεύσει τὸ ἕλκος ὁ δεδηγμένος: ἡ οὐλὴ μένει τῆς διαβολῆς, hoc eſt: Etiamſi ſanet ipſum fortaſſe vulnus, qui calumnijs inſectatur, cicatrix tamē ſemper manet aliqua, quod Plutarchus ille ſapientiſſimus ait.

 Qua-

Quapropter cùm poſt annorum aliquot exſpectationem fruſtrà ſuſceptam ſpes adhuc emicuerit nulla, fore, vt in hancarenam deſcenderet aliquis, qui viribus Aduerſario prouocanti ſi non potior attamen par eſſet: multis tandem modis impar egó licèt, admiratione rei primùm doctus: ecquid tantæ molis eſſet illa diſſertatio, nemo qui ſuſtinendo eſſet, vt inueniri quiret: paulò, quod ante leuiter delibâram, preſſiùs & attentiùs reuoluo: cumque penſitatis omnibus, beneq; perſpectis ſemel atq; iterum, ſub finem videretur in neruum erumpere, quod in principio tantis intenſum viribus: ad obijciendum aliquod oppugnationi Scherbianæ propugnaculum, ſi quid ſubſeciuis liceret horis adimere, me contuli. Quod cùm vix eſſet attentatum mihi in primo & altero capite, vt Aduerſarij, prout ſe offerrent, cauillorum & ſcommatum tela retunderem, ſimulque ſi quid ſe obtuliſſet rei, quod Rameas poſſet infeſtare partes, neruosè refutarem: è regione verò Rameæ doctrinæ innocentiam & veritatem propugna-

rem : quòd omnia ſimul congeſta nimis perplexa forent,& præ rerum alienarum mixtura vix ab oculatiſſimo ſtatus cauſæ diſcerni quiret : ab iſtoc incepto deſtiti : & meliùs artium liberalium atque veritatis iri conſultum ſtudioſis duxi : ſi rem ipſam, de qua generatim inter Peripateticos & Rameos tot annos controuertitur,reliquis alij loco & tempori ſeruatis, explanarem : imprimis autem id operæ darem:vt in illa, quorum reus agitur dudum Petrus Ramus, ſine virulentia, ſineque vllius hominis iniuria, diligentiùs anquirerem crimina: ecquid eorum aliquod vel ex perſona vel ſcriptis ipſius Philoſophicis indagati poſſet. Quo ſic tandem, qui præiudicij virulento telo nondum planè traiectus eſſet, ſuopte quiret exſputare Genio : quid hac in cauſa ſtatui iure deberet, & à cuius partibus diu laborans innocentia & veritas ipſa ſtare vellet.

Quod, quicquid eſt, ex ſimplici & ſincero veritatis tuendæ, & famæ viri vitæ ſanctimonia, & integritate, tùm etiam eruditionis excellentis laude præ-

ſtantiſsimi, à varijs Aduerſariorum, ex inuidia mera profuſis, calumnijs, propugnandæ deſiderio factum fuit. Idque inſuper ſanctum Dei præceptum, quo proximi noſtri decus & innocentiam, ſicubi forſan illi detrimentum adferretur, ſartam tectamq; defenſare fas eſt, requirit: pietas erga virum, diuinis ingenij dotibus adprimè nobilem, & Præceptorem venerandum poſcit: Reſpubl. denique literaria, quæ technis illiuſmodi quorundam circumuenta, ſanioris doctrinæ & Methodi diſcendi rectiſsimæ non leuem facit perſæpè iacturam, flagitat, & obnixè rogat.

Tibi verò, Vir Ampliſsime, quod leuidenſe chartarum munus obtrudo: non ita velim accipias: atque ſi partem odij atque inuidiæ, quæ confertim me, ſicut veritatem adferenti ferè contingit, magna mole ſupprimere tentabit, in te deriuare: vel huius hæreſeos Philoſophicæ, quæ tàm malè hîc audit, te ſuſpicione prægrauare mens ſit: ſed vt obſeruantiam tui meam tibi conteſtatam tali pacto faciam: & inſuper hanc virtuti

tuæ

tuæ laudem tribuam: quòd licèt ad summos in vrbis huius inclyta Repub. gradus honorum, propter insignem doctrinæ prælustris, vitæque cum virtute peractæ gloriam sis euectus: attamen hæc humanitatis & humilitatis nostra non adspernêre studia: in quibus etsi non sectatus vsquam fortè fueris, neque secteris adhuc illam, quæ pertinacissimo Peripateticorum quorundam, sed immeritò premitur vsque, misereq; diuexatur odio, Philosophandi viam omnium dubio procul optimam: nunquam tamen in eorum te sententiam passus es pertrahi: qui libertatem disputandi Philosophicam, & ex immotis certitudinis principijs Peripateticorum fragilibus quibusdam placitis contradicendi morem, iure naturæ licitum, penitus sublatum, & in vnius Aristotelis verba, atque interpretum suffragia iuratum cupiunt.

Quod vt æquo feras animo, meaque tibi commendata velis esse studia, pro temporis occasione iuuanda, maximopere rogo: teq; cum familia tua, Reipub.

nostræ tàm Academicæ, quàm Politicæ diutisſimè ſupereſſe pijs à Deo votis exopto. Datum Erfurti, è nostro Saxonum Collegio, Kalend. April. Anno Salutis cIↄ. Iↄ. VC.

T. A.

Obſeruantisſimus

M. Henningus Rennemanus Papæburgus.



INDEX QVAESTIONVM ET RERVM HVIVS libri præcipuarum.

Metho-

Aristo-



PRAEFATIO AVCTORIS AD DN. PHILIPPVM SCHERBIVM, contra RAMISTAS Dissertatorem.



Dissertationẽ tuam, pro Philosophia Peripatetica, ante quinquẽnium promulgatam, Clarissime Scherbi, magna profectò cũ admiratione spectare, & summa cum auiditate peruoluere visi sunt, quos tu sic appellas, Ramistæ Philosophi. Cùm enim post clarissimorum, annis ab hinc quadraginta, Peripateticæ Philosophiæ Professorum varios, in P. Ramum, & ipsius adseclas insultus, inter magnos, huius ætatis, eiusdem Philosophiæ Doctores, tu solus, quiescentibus, aut saltem conniuentibus reliquis, in aciem prodires apertam, magno cum spiritu: hoc equidem erant tunc metu perculsi: vt te nobis, ijsq; robustioribus armis indutum

 crede-

crederent. Verùm lectis, & relectis aliquoties, quantùm quidem mihi & audire, & videre licuit, omnibus Dissertationis institutæ capitibus: non sine nausea cramben, à multis multoties coctam, de nouo tibi nouæ cum spumæ ebullitione recoctam leuiter, offenderunt: in qua, præter nouas cauillationum, & scommatum acerbissimorum formulas, noui nihil reperire potuerint. Qua de causa factum puto: vt ijs, quæ toties ab ipsis conuulsa sunt, & ad rauim vsq; refutata, grauiter oppugnandis operã dare, superuacuum duxerint; & responsionis iam toties datæ labore supersederint.

Quod etsi causam præ se fert admodum grauem: cùm meliùs preciosissimũ temporis thesaurum collocandum nôrint, quàm in actitatis iterum agendis: attamen, cùm tu facilè primas, inter Antagonistas Rameos, in Germania nostra, tibi vindices: magnoperè desideraui sæpiùs, & speraui: proditurum in lucem, cui tibi se opponere mens esset. Cùm enim, sicut ignis è silice non nisi duris elicitur duri chalybis ictibus: sic veritas etiam

iam nusquam vestigetur feliciùs: quàm contrarijs & acerrimis præstantissimorum quorumq; Antagonistarum disputationibus discussa: magna mihi spes adfulgebat, fore: vt tandẽ veritas ipsa, cuius homines exspectatione cæca dudum suspensi tenentur perquàm plurimi, clariùs elucesceret te, pro excellente tua dogmatis Aristotelici peritia, rationes sententiæ Peripateticæ, ex summis & imis vndiq; rimante: aduersario verò fortiter repugnante, & pro viribus retorquente tua tela, in se hostiliter emissa.

Cuius ego rei sic exarsi desiderio: vt, cùm elapsis aliquot nihil huiusce rei conspexerim annis huc vsq;: tandem minimus omnium prodire, & primùm in genere Dissertationis, pro Rameis aduersus Peripateticos, figuram quandam delineatam, quam peritiores vtinam viuis coloribus illustrare vellent, obijcere: deinde in specie de plerisq; in tua Dissertatione te commonere in animum mihi induxerim.

Quod equidem non ea factum mente certò tecum statuas: qua vel Rameorum

partes defensandas susceperim: vel tecum, atq; cum Peripateticæ familię primoribus congressus videri velim. Cur enim ita stolidus essem? meo vt illos arbitrarer indigere tam vili patrocinio: vel ita temerarius: vt meis eruditionis atq; doctrinæ vilissimis armis illorum caput obiectare telis ausus fuerim? *quorum sapientiam si vel senex* (quid enim de iuuene fieret!) *ex ima semita suspicere possem, beatus essem*: sicut tuum de nobis est iudicium. Sed hanc ob causam: vt ansam tibi præberem, hoc omne negocium, cuius non lacessitus expeditioni vltrò temet immiscuisti, paulò pleniùs, & planiùs explicandi: & hæc, quæ sunt in medium à te prolata, vel latiùs euoluendi, vel alia, quæ magis ad rem sint, illis substituendi. Vt ista tandem ratione, si morbi vis tanta nobis inhæserit, vt tu confidenter adseris: nos autem planè nobiscum perscrutantes omnia, nondum deprehendere potuimus: ipsimet eius dolore cruciati, te Medicum nobis adsciscamus: tuoq; curati remedio ad sanitatem, cum ipsa Philosophiæ sinceritate, redeamus. Nullo

In fin. 1. cap.

lo namq; modo tibi meliùs de re literaria nobisque omnibus mereri dabitur; quàm si diuturna tantæ scabiei labe tabefactos ab extremi periculi faucibus eripias: & horrisonis disputationum fluctibus vndique concussos, in tranquillitatis & concordiæ portum reducas.

Quamobrem pro excellenti rerum Peripateticarum cognitione tua, proq; summo in Aristotelis scripta studio te rogo: ne, quicquid hoc est, quod in hac responsione morbi mei cognoscendi causa, cuius dolores nondum sentio, protulero, rapias aliò; quàm ex animi mei sententia tibi iam prædico: neue mea hominis, vt tu vis, ægroti commenta cachinnis, & sarcasmis, qui tuus est in hac Dissertatione mos, Medico minimè congruus, superciliosè despicias: sed, quod probi bonique Medici munus est, humaniter tractes, & amicè commonstres: qua ratione scabiosa me lues occupârit: quibus ex causis, qua in animi parte: quibus cum symptomatis: & quomodo morbus eradicari, & sanitas sine maiori rerum intertrimento commodè

recuperari queat: tum ſi qua ſunt alia monitu pro Medici diſcretione nō indigna. Quamuis enim hiſce de rebus ſparſim mentionem feceris: certè parum, vel omninò nihil indè reperio: quod eiuſmodi ſit: vt fidem cuiq; ſatìs certam facere poſſit. Hoc igitur ſi feceris, & neruosè demonſtraueris: viciſſim tibi promitto, animi mores obſequentes, & cum perpetua gratitudine, & officiorum deuota oblatione quorumcunq; beneuolentiam perpetuam. Si, inquam, ita feceris: & id, quod cupio, quodq; tu te facturum promittis, probatum dederis. Aliâs enim, vt nuſquam pertinax adeò ſum deprehenſus: vt meliora monenti locum lubens non reliquerim: ſic ex aduerſo nunquam ita bardus & leuis fuero; vt tuis hiſce, tuiq; ſimilium, ex cauillis, & iniquis criminationibus densè compilatis ratiunculis, ab illa, quam ſciens vidensq;, priore relicta, ſemel ingreſſus ſum philoſophandi ſemitâ, me tam facilè dimoueri patiar.

Ad me quod attinet: videbo quantùm potero: ne quid in hoc reſponſo tibi di-

bi dicam durius. Nisi forsitan alicubi tua Dissertationis acerbitas, & exquisiti conuitiorum flosculi stomachum commouerint. Quis enim hoc vitio verterit: si grauissimas iniurias saltem leuiter retorsero, defendendæ causa innocentiæ: cùm par pari referre liceret, si liberet, omni iure? *Benedictis enim*, vt inquit Comicus, *si certâsses: audîsses benè. Iam qui, quæ vult, dicit: quæ non vult, audiet.*





DISSERTATIONIS SCHERBIANÆ PRO PHILOSOPHIA Peripatetica aduerſus Ramiſtas

CAPVT I.

In quo moderatio iudiciorum iuuenilium ſuadetur: & de libertate Philoſophica.

VEtat Hippocrates, cum imperitis ægrotis multa de morbi cuiuſque cauſis diſputare: ne arti calumnijs alioquin nimis obiectæ, aliquid authoritatis ex ea re decedat. Ego igitur quoq; cum tironibus ſapientiæ, de origine iſtius ſiue ſcabiei, ſiue vertiginis, ſiue phrenitidis, (alijs enim aliter appellare placet) quæ hodie ferè epidemica eſt, & Rami Philoſophia vulgò vocatur, non tàm diſputare inſtituam, quàm ſummam medendi rationem, digitum ad fontes indicationum intendendo, oſtendam. Mihi quidem ſæpiùs iam cum talibus ægris verſanti, hoc propè pathognomonicum morbi huius

ius signum videtur: Fastidium ingens, & contemptus quidam insolens, omnis veteris Philosophiæ, cum perpetuo innouandi pruritu coniunctus. *Symptoma, vt verè dicam, consimile admodum ei, quod est interdum in mulieribus grauidis, quæ magna cacochymia oppressæ, optimos & saluberrimos cibos negligunt, ac eorum loco, carbonibus & cineribus pascuntur. Verùm priusquam ad medendi methodum accedamus, præmuniendum videtur illud, quod est apud sapientissimum Platonem: Si vis, inquit, curare oculum, oportet priùs cures caput: si vis curare caput, oporte priùs cures corpus: quod si vis curare corpus, oportet priùs cures animum, id est, temperantiam ægro persuadeas. Plerumq; enim sublatis animi morbis, salus in corpus quoque redundat.*

Ergò & nos primùm omnium temperantiam, id est, moderationem quandam iuuenilium iudiciorum à sanabilibus, (insanabiles enim & deplorati, vt docent medici, prognosticis sunt relinquendi) impetrare cupimus. Est autem ea in hac præcipuè re sita: Non esse fœdam & turpem quandam seruitutem, si quis in cunis adhuc Philosophiæ iacens, & vix dum

balbutire incipiens, ſequatur (tanquam vocem nutricis) auctoritatem eorum, qui tot iam ſeculis ſapientes habiti fuerunt. Conſideremus hanc rem, ſi placet, in ciuili prudentia, negotiorumq́; quotidianorum tractatione, tanquam in rebus vulgò notioribus. Maiores noſtri, ait Cicero, voluerunt fœminas eſſe in tutorum poteſtate, propter infirmitatem conſilij, ſiue, vt loquitur Ariſtoteles, quia τὸ βουλευτικὸν in illis eſt ἄκυρον. rectè. ijdem maiores voluerunt etiam iuuenes eſſe vſq; ad certos annos in tutorum poteſtate: quia, vt idem Philoſophus dicit, τὸ βουλευτικὸν adhuc in illis eſt ἀτελές. Quòd ſi igitur adoleſcens his annis prudenti & benè monenti obediat, túne eum miſeram & abiectam ſeruitutem ſeruire dicès? Meliora quæſo. Quin hoc accipe: Tantum abeſſe, vt hæc turpis quædam ſeruitus ſit, vt nulla maior in eam ætatem laus & perfectio cadere poſſit. Accommodare enim ſuas cogitationes & conſilia, prudentum conſilijs, eſt ſe ijs, imitatione quadam, ſimilem reddere: in qua quidem imitatione, rerumq́; inferiorum cum ſuperioribus conformatione, Philoſophi huius totius mundi perfectionem conſtituunt. Hoc tu mihi transfer iam à prudentia ad ſapientiam,

entiam,

entiam, mentemq́ theoreticam. In his enim non minùs, immò multò magis, & longiori etiam tempore, iuuentus sapientum tutorum præceptis, & dictatis, indiget. Nam vt est apud Alex. Aphrodisiensem, νοῦς θεωρητικὸς, longè tardiùs, quàm πρακτικὸς hominibus accedit: neq́ solum tardiùs, sed etiam, multò paucioribus: siquidem omnibus temporibus plures fuerunt prudentes, quàm sapientes. Plato quidem eum beatum prædicat, qui vel in senectute veritatis (quam Philosophia theoretica profitetur) poßit esse particeps. Atque is idem Philosophus alibi: Animi virtus, inquit, non priùs florescit, quàm corporis virtus defloruerit. Et alter è Græcia sapiens: Viget corpus quidem, à trigesimo ætatis anno, vsque ad trigesimum quintum: Animus autem circa vndequinquagesimum. At enim, dices, tutores ij, sub quorum potestate & sapientia vis me esse, ipsimet pueri sunt: excesserunt quidem pueritiam, sed non puerilitatem. Ah non desinis præcipitare iudicium? non desinis iuuenis esse? Mane quæso: videbimus postea, Túne an illi, sapientiores sint: Nunc hoc cogita: puerorum, si res benè cadat, esse memoriam: iuuenum, qui εὐφυέστεροι sunt, acumen in communibus quibus-

dam

dam λόγοις excogitandis: senum autem, iudicium graue, & verè analyticum. Vt enim in rebus ciuilibus, longo demum vsu, oculus mentis nobis innascitur, quem vocamus prudentiam: sic in theoreticis, senescentibus tandem, alter sapientiæ oculus aperitur, qui est cognitio cognitionis, siue iudicium solidum, longa principiorum cuiusq; artis meditatione partum. At verò hoc ipsum est anima totius Philosophiæ: hoc, doctum à semidocto distinguit. Quòd autem veritas adeò tardè eruatur, causa est, quoniam res intelliguntur intellectione recta: veritas autem earum, intellectione reflexa: quæ non nisi diuturna contemplatione, in quaque scientia fieri potest. Est quidem initium eius valde simplex, & per se clarissimum: sed adeò multiplici rerum adhæsione inuolutum, vt nobis, qui natura duce externa potiùs spectamus, quàm interna, difficilis sit eius euolutio. Atq; hæc quidem ratio sine dubio impulit sapientissimum Pythagoram, ad imperandum discipulis suis, decantatum illud silentium. quippe, discentem enim oportet credere, non disputare. Prorsus (ait Apuleius) hoc erat primum sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere. Institutum profectò supra captum

captum huius analytizantis (Nouis enim rebus noua nomina imponenda sunt) & prurientis æui. Quid enim quæso hodie fit? An non iuuenes, & loquacissimi sumus, & scribacissimi? Nonne excussa omni potestate tutorum, de summa sapientiæ, iudicamus ij, qui ne pictam quidem (si vera dicenda sunt) Philosophiam vnquam adhuc vidimus? Nimirum durat adhuc καθολικὸν illud θεώρημα, quod est apud Aristotelem: iuuenilis ætatis hoc esse, putare se omnia scire, idque asseueranter confirmare. At cogitandum erat, quod est apud eundem Philosophum: Animam fieri sapientem quiete: id est, sedatâ demùm ebullitione humorum, & capillis canescentibus. Laudo quidem ego quoque eam, quam doctores è noua schola semper in ore habent, libertatem philosophicam: sed laudo cum laudatissimo Pythagora, exactis aliquot silentij annis: omnibus locis Philosophiæ diu multumque lectis, relectis, tractatis, retractatis. Laudo etiam, si agas liberè, vt profiteris, non ambitiosè: in qua tamen culpa plerosque omnes videmus, quibus libertas hæc adeò iactata est. Quid enim aliud vis, ista tua summorum virorum liberrima depressione, quàm te vnum extare, & eorum loco constitui? Immò ve-

mò verò ais, ſacram veritatem ego volo: hæc mihi curæ eſt: hanc vnam colo: hanc vnam veneror. Sacram ambitionem ſi diceres, crederem. Nam quî credam veritatis ſtudio te duci, cùm videam vix ſemel aliquem ex ijs, quibus reprehendendis conaris creſcere, abs te leui pede percurſum, idq́ue non eruendo eius ſenſus, ſed repugnantias aliquas φαινομένας *notando: Interpretes autem eius, ne ſemel quidem. Atqui, ô vir optime, ne ſis neſcius, veterum ſcripta ſunt, vt opulentiſſima quædam metalla, quorum in alto latet vena: aſſiduè plenius reſponſura fodienti: leuium metallorum fructus in ſummo eſt. Cogita Galenum in philoſopho requirere* ἐρωτικὴν μανίαν *ad veritatem: & Ammonium, peripateticæ Philoſophiæ ſtudioſo, imponere labores aſininos: Quod ſi tu eorum tàm patiens non es: iudicium igitur de talibus rebus ſuſpende: linguam cohibe: noli iuuenis eos condemnare, quorum ſapientiam ſi ſenex ex ima ſemita ſuſpicere poſſes, beatus eſſes: ſin minùs, quid aliud dicam, quàm vana quadam gloriolæ cupiditate ad ſcriptiones te adduci? Et Galeni illud iure in te vſurpabo,* Ambitio perdidit artes.

RESPON-

RESPONSIO AD CAPVT I.

SIquidem Medicus es, Scherbi Clarissime, sanè perquam commodam à medica professione nactus es exordiendi telam; quæ simul scopum Dissertationis innuit; sicut & præfatio ad Patronum tuum V. Amplíss. ostendit, hunc nimirum: quòd remedium velis indicare studiosis Philosophiæ Rami, morbo quodam, periculoso satis, & epidemico infectis. Quamuis enim hoc obijci fortè non ineptè posset: quòd illis te curandis obtrudere velles: qui neq; morbi genus vllum sentiscerent: nec, si malè forsitan haberent, te Medicum sibi vellent: attamen cùm viri sit boni, pro virili Reipub. laboranti succurrere; & operam ipsi suam, licèt non rogatam, deferre: non modò non culpo, sed insuper laudo tuum, doctiss. vir, studium: si pia quapiam ductus commiseratione, ex animi candidi & sinceri pio Zelo, Philosóphiæ laboranti, & studiosis tàm pestilenti contage correptis, opem ferre voluisti. *Scopus Dissertationis Scherbianæ.*

Verùm hoc valdè mirum in istac mihi contigit Allegoria: quòd nostro, quo correptos nos dicis, morbo remedium daturus, nec de causa morbi: nec de certa specie, certi quid dicere possis. De hoc enim dubitas: ecquid sit *Medicus morbũ curaturus, nec causã eius, nec speciẽ novit.*

scabies:

scabies: vel vertigo: vel phrenitis: vel aliud quidpiam. Quid autem magis à ratione dissonum: morbum depellere: de cuius non constet qualitate? Fieri potest equidem, vt de incerta specie, genere tamen certo, dubitatio surgat: at de toto genere dubitare, vix erit in medico ferendum: toto id est errare cœlo. Quàm verò dissimiles sunt morborum species: scabies & phrenitis? quorum ille cruribus solet & brachijs esse molestus: hic princeps hominis inuadit membrum, cerebrum scilicet: ille leuior est, & in extremo cutis hæret superficio: adeò vt ipsius cura sæpiùs attendi non soleat: iste lethalis animam, hominis essentiam, prægrauat. Crassa igitur cùm hæc sit huiusmodi morbi ignoratia, quantò quæso crassior erit cura: si nescias ecquid capiti vel pedi, cuti vel cordi, sint adhibenda remedia: ecquid acuto, vel leni subueniendum pharmaco.

Qua mor- [illegible] specie [illegible]mei in- [illegible]ntur.

At verò, dices; ex aliorum mente dubitationem miscui: ego *scabiem* esse reor: eamq; curandam suscipio. Ita quidem videtur, & hoc ex præfatione tua patet: in qua scabiei morbus hic subijcitur. Benè se res habet. Liberasti nos ingenti solicitudine. Scabies enim morbus est leuiculus, & minimè lethalis: quē longè feliciùs ipsamet cursu temporis expellit natura: quàm si pharmaca præbeas: quæ sæpiùs exitialia sunt incautiùs sumta: immò qui tempore iuuenili censetur adprimè commodus:

Scabies nō est morbus periculosus.

modus: vt ſanguinem purificet & putridos humores expellat. Quæ res facit, vt non magnopere laborent huic morbo remedia quærere ſtudioſi: ſiquidem non capitis inde periculum metuitur: neq; rationis ipſe vigor, ſed eius extrema cutis tangitur. Mirum igitur tantopere te quiritari, & ex elephante muſcam facere: quaſi de Rationis extrema ſalute laboretur: quæ vix quadam frictione leuiuſcula repurgata vireſcit ampliùs. Mirum verò magis excellentis eruditionis Doctorem Medicum curationi tàm contemtibili, quæ vulgò ſolet mulierculis, empiricis, & ſi paulò periculoſior, chirurgis, quorum aliqui ſolent indè Medici vocari ſcabioſi, committi, ſuam non denegare, quod plerię; ſolent, operam.

Dedecet excellentem Medicum ſcabiem curare.

Verùm enimuero quid hoc eſt denique: quòd de *cauſis ſcabioſi morbi*, quem curandum ſuſceptas, diſputare non collibuit? Hactenus equidem mihi perſuaſum fuit: ſicut *ex facto ius oritur Iuriſconſulto*: ſic ex cognitione cauſarum Pharmaca dari Medico. Et quomodo feliciter morbo medebitur, cuius cauſas ignorat: quibus pharmacorum vi ſublatis, ipſe demum morbus abigitur? Quouè pacto, quòd iſthoc infeſtemur morbo, nobis perſuaſum feceris: ſi proferre cauſas, ex quibus oritur, erubeſcis. Vix te tuebitur *Hippocratis* exemplum: qui non cum quibuſuis ægrotis de cauſis morbi diſputare: ſed *cum imperitis multa garrire*

rire prohibet. Quomodo igitur hoc applicabis? Neq; enim cum tironibus duntaxat tibi res eſt: ſed multò maximè cum *Ramiſtis*, vt libri titulus, & progreſſus ſcriptionis oſtendit. Quî, tibiné ſunt omnes imperiti? non auſis, ſpero, dicere: & ſi auderes: temeritate atque arrogantia ſuperares tuos gregales omnes impudentiſſima.

Symptomata ſcabiei Ramea.

At, inquies, ſymptomata quædam poſui, quibus hic morbus dignoſci poſſit, & in ægro Ramiſtarum corpore latitans inueſtigari: nimirum hæc: *faſtidium ingens, & contemtus quidam inſolens omnis veteris Philoſophiæ, cum perpetuo innouandi pruritu coniunctus*. Scommata ſanè vidi: non ſymptomata: quæ ſi ab alio quodam proferrentur: de cuius liuore mihi, & calumniandi futilitate certiùs conſtaret, dicerem: tot eſſe mendacia in hoc enunciato: quot ſunt verba. Verùm quia melior de tua mihi ſpes ſupereſt animi ſententia; meliùs eſt viſum; ſi tot errores, quod honeſtius eſt, hîc arguerim.

Ecquid faſtidium ſit & contemtus Ariſtolis aliqua præterire dogmata.

Error enim eſt ingens, & magnus, cùm *faſtidiũ* vocas: ſi quis, ex certa & inconfutabili ratione, dogmata quædã prętereat: quòd nec exactè vera: nec vtilia: nec ordine bono digeſta.

Maior, cùm vocas idem, cauſas ob eaſdem, *contemtum inſolentem cum pruritu innouandi*. Veterum enim prętermiſſio, & nouorum ſubſtitutio, tùm demum viciosa: ſi *temerè* ſuſcepta. Cum ratione verò, quia vetera mala, noua verò me-

rò meliora sint; si quid antiquetur, vel innouetur: quomodo Ramus, & ipsius fecerunt adseclæ: laudabile prædicatur studiũ. Quemadmodum vobis in Aristotele vestro, qui ferè omnia Philosophorum antiquiorum decreta repudiauit, & noua reposuit, id laudi ducitur: qua de re in Dissertatione mea dictum copiosiùs.

Maximus omnium hic est: quòd contemtus ille sit *omnis veteris Philosophiæ: & pruritus perpetuus.* Nimis crassa, bone vir, hæc est hyperbole: vix vllo forsan excusabilis tropo: cùm tribuis *omni veteri Philosophiæ*: quod Aristotelis quibusdam vagis, & vanis dogmatibus erat attribuendum: cùm *innouandi studium* dicis *perpetuum*; licèt quod in certis eorundem dogmatum partibus semel innouatione decretum est, postea ratum maneat. Ecquid enim Aristotelis scripta sola sunt Philosophia *vetus, & omnis?* Nihilné tribuis, Socrati, Platoni, Ciceroni, Plutarcho, Quintiliano & alijs? quorum Ramus contra Aristotelem toties allegat testimonia? Ecquid verò nulla apud Rameos rerum certitudo: nulla dubiorum definitio: si *perpetuus est innouandi pruritus?* Neutrum potes adserere: nisi lubeat sollenniter insanire. Nam Aristotelis scripta, de quibus partim dubitatur, ecquid Canonica: partim constanter adscribitur ex historica fide: quòd mendosissimè & mutilatè sint edita: vix vna, nec illa

Ecquid Aristotelis scripta sint omnis Philosophia vetus.

Aristoteles non est omnis vetus Philosophia.

Vide Strabonem &

Plutarchũ in Sylla. maxima veteris Philoſophiæ ſcriptorum pars ſunt. Æquè enim vetuſtis annumeranda ſunt, & aliqua vetuſtioribus: quæ poſteritati reliquerunt, præter ſuprà dictos: Iſocrates, Demoſthenes, Xenophon, Euclides, Varro, A. gellius, Macrobius, & alij plures infiniti. Et ſi quid à Rameis eſt innouatum ſemel, hac vel ſuperiore ætate; conſtanter id retinetur; nec rurſus innouandi ſubiacet irrito conatui. Nec enim quod vno in loco conſtruunt, id ſolent alibi deſtruere: ſicut Ariſtoteles veſter, non ſemel feciſſe legitur.

Quo igitur candore, & quibus oculis, Medice præſtantiſſime, tibi *pathognomica* ſint hæc conſpecta ſigna: teipſum quære. Nolo te acerbiùs exagitare: quamuis commodiſſima fortaſſis eſſet occaſio. Proſpiciat hinc autem candidus lector: quàm feliciter cura Medici huius ſit caſura: qui de morbi genere dubius eſt: cauſas eius proferre nequit: & de ſignis coniecturam facit fallaciſſimis, & calumnioſè detortis.

His præfatis ad ipſam curam ſe noſter Medicus accingit: attamen, quod curet, ipſe neſcius. Id enim, quod curandi Methodo ſe præmittere dicit, quodq; ſupra dicere velle negauit: hîc ipſius curæ pars eſt magna: cauſa nimirum morbi, quam primùm ex animis ægrotantium diuellere laborat: *contradicendi veteribus ſtudium à iuuenibus temerè ſuſceptum.* Cui amouen-

amouendæ remedium dat: *vt in cunis Philosophiæ iacentes & vix dum balbutire incipientes sequantur tanquam vocem nutricis, auctoritatem illorum, qui tot iam seculis sapientes habiti fuerunt, &c.* Idque probat, 1. à pari: in ciuili prudentia: vbi mulieres & iuuenes tutorum potestati sunt subiecti. 2. ab auctoritate Aphrodisiensis, Platonis, Græci sapientis, & Phythagoræ; qui dicant: ante senectutis, vel quinquagesimum ętatis annum, sapientiam nemini contingere: quousq; de sapientiæ decretis quenquam iudicare nefas sit.

Causa scabiei Rameæ.

Cum laruis hîc luctaris, ó bone! Quis enim ita frontis perfrictæ fuit vnquam, vel ex ipsis Rameis; qui *fœdam seruitutem* dixerit illud, quod tu describis maioribus obsequium præstandum? Neminem sat scio protuleris; cui vel somnianti venerit hoc in mentem. Quid igitur opus istis cumulatè propugnandis: quæ nemo sanus oppugnare voluerit? Si Medicum te vis præbere, cur eminus morbum circumspicis: cur non attrectas adfectum locum: quò cures meliùs. Sophistarum, vir optime, ne sis nescius, hic mos est: vt scopum transponant, & aliud dicant, aliò verò tendant. Quid iuuat hîc, per imperitæ iuuentutis latus, Ramum, Rameosque virulentis eiusmodi telis transfodere? Si pectoris esses aperti, in bonaq; causa benè tibi conscius; apertè debebas proferre; quæ verborum tegmine timidius obue-

Scopum transponit sophisticè Scherbius.

Quæ sit Ramo seruitus Philosophica: è qua studiosorum animos liberauit.

las. Rameos enim vis admordere clanculum; qui Aristoteli sæpè contradicere sunt ausi: qui *fœdam* dicunt & *turpem seruitutem*: non, vt tu crassissimè (nolo enim mendacium obijcere: quamuis alicui videatur hoc admodum adfine) deliras: si tirunculus Philosophiæ docentibus præceptoribus obsequatur: sed *si tu, tuiq; similes Peripateticæ Philosophiæ Professores, in Magistri Aristotelis verba sanctè iurantes, ipsius omnia dogmata, licèt apertè vana, & vaga, contra iudicium rationis immobile, solo freti auctoritatis Aristotelicæ scuto, pertinaciter & arctè defensetis.* Hoc fœdum turpeq; seruitium ducunt: & rectè quidem.

Cùm enim liberum sit nobis rationis, Dei beneficio, iudicium, iuxta suam artem, hoc est, Logicam, informatum: quo possumus examinare omnia: ex omnibus id tantummodò, quod bonum, retinere, vel Apostolo teste: cumq; nullus sit auctoritati locus: si rationis artificiali non probetur argumento: vos spreta libertate, profanæ mentis & gentis, homini iudicium rationis vestræ subijcitis; illius omnes sensus penè adoratis: nulli rationi aduersæ locum conceditis: breuiter, nulla fermè ipsius dicta vel scripta in contentionem disputationis vocari vultis. Hoc *seruitutis fœdæ* fœdissimum iugum à ceruicibus suis excusserunt Ramei; non Aristoteli: sed *Philosophiæ veræ, quæ rationis, & experientiæ cruribus duobus est subnixa, se, suasq; de doctrina quauis sententias modestè subijcientes.*

Libertas Philosophica Ramea: per quam

Nec

Nec Ariſtotelem idcircò, multò minùs *omnes veteres Philoſophos*, vt vos calumniamini, contemnunt: ſcripta dictaq́; omnium æquè, atq; vos, ſtudioſè legunt: ſed ita legunt: non vt ſtupida pecora: ſed vt *ratione donata animantia*, quæ pro inſita ſibi á Deo iudicij incorrupti norma probat omnia: vt, quæ ad lapidem iſtum Lydium quadrant, aut ſaltem nō nimis horridè diſcrepant: illa reuerenter accipiant: non quia ſic dixit Ariſtoteles: ſed quia ratio per Ariſtotelem: quæ verò nimis abnormia ſunt: vt reclamet apertè vel ratio, vel experientia, vel vtraq; ſimul: illa prætermittant: & cur acceptanda non ſint; ſolidas rationes modeſtè ſubijciant: ne ijs euoluendis vel addiſcendis temporis theſaurum ſibi ſuiſuè diſcipulis perdant. Hoc, ſi vir es, factum reproba: Hæc libertas Rami Philoſophica, pro qua fortiter pugnauit: hîc Rhodus eſt: hîc ſalta.

nō contemnuntur veteres Philoſophi.

Quomodo legenda veterū ſcripta.

At cum tironibus mihi Philoſophiæ res eſt: dices fortaſſe. Quid igitur hoc ad Rameæ Philoſophiæ profeſſores: quos tu Ramiſtas indigitas, & calamo tuo in hac acriter charta perſtringere laboras? Qui profectò pueri ſunt nunquam: ſemper viri; & hi vel in ætatis adhuc vegetæ vigore poſiti: vel ſenio confecti. Attamen ſi cum tironibus: cur cum Rameis duntaxat? Annòn philautiæ & doxomaniæ, cum temeritate iunctæ, vicio, quod hic illis exprobare videris, ſunt omnes contami-

nati, siue Ramei, siue Peripatetici? ita sanè: cùm ratio sit æque eadem in his, quæ in illis: *humorum* scilicet vel adfectuum potiùs *ebullitio*: quam tu proponis.

Si quando contingat: vt sapientiæ studiosi iuuenes probabiliter aduersus Aristotelis, vel aliorum Philosophię professorum placita disputent: ex eóne sequitur: hoc vicio, de quo iam antè dictum, conspurcatos eiusmodi? Distinctione hîc videtur opus esse. Nam si *in cunis adhuc Philosophiæ iaceant, vix dum balbutire incipientes*: hoc est, vt ego hanc allegoriam accipio: si nondum Philosophiæ generalem propædian solidè didicerint; specialem vix attigerint: pædiæ verò nulla partium elementa adhuc viderint: Et breuiter; si curriculum Philosophiæ in Propædia solidè, in Pædia verò mediocriter nondum, prout moris est, perlustrârint, quos tirones Philosophiæ libet appellare: libenter tecum facimus: vt dictatis præceptorum sine contraria disputatione adquiescant: ijsq; diligenter imbibendis incumbant. Si verò cursu Encyclopædias Philosophicæ tàm in pædia, quàm propædia iam mediocri diligentia confecto, iudicium suum ex arte & vsu disserendi conformare didicerint: quod, si non antè, saltem cum decursu iuuenilis ætatis ad summũ fieri, si bona sit institutio, cum ingenio felice, debet: quos studiosos Philosophiæ nunc appello: non modò non carpendus,

Ecquid iuuenes possint disputare aduersus Philosophorum et præceptorum placita.

Qui sint tirones Philosophiæ.

Qui sint studiosi Philosophiæ.

pendus, ſed ſumma laude dignus ille videtur: cui *ſine ratione non valet auctoritas: quiq́; ſimpliciter ratum non habet, quod ab eo, quem probat, iudicatum videt: ſed ſuum etiam adhibet* (vt Cicero loquitur) *iudicium:* & non tantum *Quid,* ſed *Quare* dicatur quodlibet, inueſtigat acriter. Adeò vt, ſiquid alicubi, vel in ipſo naturę miraculo, ſicut adpellant, offendat: cuius vel vſum, vel rationem poſt acerrimam diſquiſitionem non inueniat: aduerſus id ei ſine famæ periculo diſſerere, tàm publicè, quàm priuatim, ſolida cum ratione liceat: immò quilibet ſapientiæ veræ ſtudióſus, vtilitatis intuitu cùm publicæ: vt veritas, quæ publici iuris eſt, magis diſcuſſa luceſcat: tùm priuatæ: vt ingenij vires, diſputatione, qua nullũ eſt ad acumen comparandum, & eruditionis laudem ſolidæ quærendam, magis vtile gymnaſium, ſic facere neceſſe habeat.

Quemadmodum igitur de prioribus verum libenter fateor: *diſcentem oportet credere non diſputare:* quippe qui diſputandi facultatem propter imperitiam ſibi nondum comparârunt: ſic de poſterioribus contrarium placet: *diſcentem* (iudicio iam firmato) *oportet diſputare: nec ſine ratione leuiter cuiquam credere.* Quod niſi fecerit: ſapientiæ ſtudioſus dici non debet: quæ ſolida non niſi ex cauſis rerum comparatur: quas, qui ſimpliciter accredit, curare negligit.

Neq; verò lædit hanc adſertionem meam: quod è ciuili iure, de iuuenibus in poteſtate non tutorum, vt tu vis: (his enim qui ſubditi ſunt, pueri dicuntur: non iuuenes) ſed curatorum poſitis adfers. Primùm enim ad certos duntaxat annos eiuſmodi poteſtati ſubſunt: XXV. videlicet, pro Romano: vel XXI. pro iure Saxonico, quo nos vtimur: quibus elapſis ſpreta curatorum poteſtate pro ſuo diſpenſant res ſuas arbitrio. Deinde non ita conquieſcunt in curatorum adminiſtratione; vt ſine diſquiſitione fidem eis habeant: ſed vt ſingulis annis, ex Conſtit. Carolina, ſi non citiùs, reddant curationis ſuæ rationes exactiſſimas. Neq; tamen & hoc caſu eis ſimpliciter obediunt: ſed *prudentibus & benemonentibus*, vt ipſe dicis.

Transfero iam hoc à Curatore ad præceptorem: vel, vt tu vis, à Prudentia ad ſapientiam: vt hic adoleſcens etiam debeat obedire, & ductum ſequi præceptoris ſui: ſed ad certos ætatis annos, donec iudicium ſit quodammodo, diſcurſu Philoſophiæ, conformatum: ita, vt vel interim, vel ſaltē poſtea poſcere debeat à præceptore rationes dogmatum, quas antè capere non potuit: vtq; non niſi docto, beneq; docenti, ſuas aures accommodet. Quid hîc vis ampliùs? in eadem hactenus tecum ſto ſententia.

Ecquid ne-mo iudica- Quòd enim hanc adoleſcentiæ ætatem in ſtudijs

studijs ad ætatis annum protendis quinquagesimum: nimis profectò longũ. Loquuntur Philosophi, quorum testimonia citas, de perfectiore quadam sapientiæ atque prudentiæ idea, in Ethicis & Physicis: quæ, libenter hoc fateor, in adolescentem non cadat: sed nec in senem: immò in hominem perfectè nullum: propter mentis in intellectu cæcitatem: propterq; prauam voluntatis ad omnia peccata inclinationem, Protoplastorum culpa in nos deriuatam. Ideóne verò loqui, vel scribere nefas est? Quòd senum robustiora sunt vt plurimum iudicia: non est illa causa: quòd ingenij virtus excellentior in illis: siquidem iuuenili ætati *commentationis acumen*, vt ipse fateris, est aptissimum: sed quòd experientia longoq; rerum vsu præcepta iuuenilia confirmârint, & exactiùs inde iudicare possint. Ideóne igitur iuuenes tacere debent, nihilq; de studijs literarum proloqui: donec consenuerint? Mira profectò Peripatetici, & μέγα λίαν αἰτήματα!

re possit de aliorũ dogmatis ante senectutem.

Cur senes prudentiores adolescentibus.

Quid igitur agitis Theologi, Iurisconsulti, Medici: quid omnes in orbe literati? qui non rarò ante ætatis ἀκμήν: sæpiùs intra XXX. ætatis annũ: penè semper ante XIVL. cathedras adscenditis: disputatis: iudicatis: vestros sensus valida ratione defenditis: contrarios vel antiquissimorum confutatis? Quiescite: tacete: & ad subsellia hærentes præceptorum dicta-

dictata scribite: donec ægra senectus ingruat. Quid tu verò Scherbi, iudiciorum censor austerus, agis? cur ipsemet nondum natus, vt quidem arbitror, annos L. non modò dudum scripturis: sed tam clara Germaniæ, Galliæ, Angliæq; lumina, tam senili prudentia veneranda, præ te contemnis: & iudicis rigidissimi partes aduersus multorum præcellentia tibi præcepta tribuis? Cur iudicij iuuenilis moderationem non impetras à gregalibus tuis: & inprimis à Daniele Cramero, qui tibi succenturiatum prodijt in Academia Vitebergensi. Hic enim vir iuuenis cùm sit: iudicia tamen parum moderata, quamuis præ tuis multò modestiora, nec ita contumelijs stipata, de P. Ramo, & ipsius sectatoribus ferre non dubitat? Cur à vestris illam discipulis, Philosophi Peripatetici, non reposcitis; quos apud omnia vestra Lycea sæpiùs ante florem iuuentutis in publicam Cathedram, cum summis honoris Philosophici gradibus eos ornatis, & oneratis interdum, collocatis: potestate iudicandi de controuersijs Philosophicis concessa? Vbi sunt hîc seniles anni? Vbi iudicium illud graue & verè analyticum?

Nimirum vobis, auctoritate summi Pontificis vestri, licitum, formare, reformare, confutare, iudicare, corrigere, deniq; damnare quoslibet: Rameis autem ne mussitare quidem. Vos si cauillis & conuicijs debacchemini

mini in viros de re literaria præclarè meritos: Philoſophi, & viri fortes audire cupitis: Ramei ſi cũ ſana ratione cõtradicant vanis quorundam dogmatis: ſuperbi ſunt vobis, ambitioſi, craſſi. Veſtri ſi prodeant in publicum diſcipuli, etiam nondũ ex ephebis egreſſi: modò lacerent & lancinent Rami cùm perſonam, tùm ſcripta: præclara res eſt: egregium bonæ indolis indicium. Si verò quiſpiam prodeat, qui Pythagorico quinquennio peracto, quærere velit: & Philoſophica libertate diſputare, contra Ariſtotelis dogmata: hic ferocul us eſt, imperitus, ſuperbus: ferulis & fuſtib⁹ eijciendus. Scilicet ita ſe res habet: Sicut Pontifex Rom. ex Canonum decretis adrogauit ſibi poteſtatem iudicandi omnes: vt ipſus interim iudicetur à nullo: ſic veſter Ariſtoteles in omnes ſui temporis Philoſophos ſeueriſſimus Ariſtarchus exſtitit: ipſe verò nullius, vt vos anxiè laboratis, examini ſubiacebit. Clarum lumen experientię conteſtor: & veſtram, Peripatetici, conſcientiam.

Pythagoræ ſilentium, quod ſemper in ore vobis, veſtræ cauſæ parum proderit: cui annos V. duntaxat tribuit. Nimirum voluit hoc, quod antè dixi, vt donec diſcipuli Tirones eſſent, hoc eſt, artium elementa omnium perdiſcerent, à diſputationibus ſerijs abſtinerent. Idem Rameis eſt animus: immò ſextum, ſeptimum, octauum & decimum, ſi velis

Ramei non quinquennio tantũ, ſed decennio diſcipulis ſilentiũ ſtatuunt.

lis ita, non grauatim dabunt: & adhuc plures insuper. Si igitur laudas *libertatem Philosophicam cum laudatissimo Pythagoræ silentio*, quinquennio peracto: cur non laudas illam, cum præstantissimo Ramo, decennio vel etiam pluribus annis insuper adiectis: donec adolescens omnes Encyclopædiæ fines circumcursitauerit: legerit: relegerit: tractârit: retractârit. Nec enim discipulos suos Ramei iubent confestim cathedras conscendere: sed vnâ cum assiduis stili, & disputationis exercitijs, in artium omnium præceptis, primùm adfabrè contractis: deinde per Platonis, Aristotelis, & aliorum scripta publica, diligenter explanatis: non quinque, sed plures sæpe detinent annos: donec cum flore iuuenili tandem fructus eruditionis in iudicio solidè maturescant indies. Et hîc forsan si ex vmbra prodeant in apertam lucem nostri; non excutiunt *omnem tutorum*, vt tu calumniaris, *potestatem*; nec *de summa sapientiæ*, sed de quibusdam duntaxat, vnius ferè Aristotelis, interdum etiam aliorum dogmatibus, quæ plerunq; ordinem, & modum tradendi sapientiam, rarò sapientiæ quoddam præceptum petunt, studiosè controuertunt.

Tu verò si nouisti, quos hîc mordere dente libuit contumelioso, iuuenes: cur non illos aperto marte prouocas: quid ita more Andabatarum luctaris? Ramum certè non lædis hîc:

hîc: neq; Rameos: contra quos tamen calamum ſtringere voluiſti: qui, quotquot publicis ſunt noti ſcriptis, credo dudum ex ephebis exceſſerunt: & Philoſophiam, *ſi vera dicenda ſunt*, vt retorqueam tuis hoc verbis, longè penitiùs, atq; multi ſolent ex veſtris, ſunt introgreſſi.

Laudarem ſanè, dicis, illam libertatem veritatis: niſi viderem potiùs *ambitionis* trahi ſtudio Rameos, quàm veritatis. Vnde, quæſo, vides hoc acutiſſime cenſor? *Summos enim viros liberè deprimunt, vt ſoli exſtent illorum loco: & illos reprehendunt, quos vix leui pede percurrerunt.* Egregia ſanè Peripatetice tua ſunt hæc argumenta: forſan analytica, & apodictica. Quis autem, bone vir, tibi Rami (hunc enim videris hîc pungere, per iuuenes tuos, minimè iuuenem) pectus aperuit; vt introſpexeris: quo animo ſit Ariſtotelis ſcripta, vel alterius aggreſſus? Simoni certè Simonio, præſtantiſs. noſtræ ætatis Philoſopho, quamuis perſpicaciſſimo: non tamen illuc penetrare contigit. Qui licèt Ramo propter animaduerſiones in Ariſtotelem minimè faueret: non tamen ita voluit impudens eſſe: vt, ex cauſis non ſatis grauibus, de mente viri iſtius καρδιογνώστην ageret, cùm ita ſcribit: *Quo animo ſcripſerit animaduerſiones ſuas, neſcio: neq; etiam, vt ſciam, laboro.*

Ecquid Ramus ambitionis ſtudio cōtradixerit Ariſtoteli.

Simon Simonius.

Lib. 1. contra Schegkium.

Tu verò cùm laborando reſciueris: profer iſtius ſcientiæ cauſas quæſo: *ſummos viros depreſſit:*

preſſit: reprehendit quos non rectè intellexit. At hęc petitio principij: non in cordati Philoſophi: ſed alicuius, ex viliſſima plebe, cerebro genita. Aduerſus alicuius dogmata, non ſatis proba, vel ſaltem obſcura, certa ratione, veritatis inueſtigandæ cauſa, diſceptare, quod P. Ramus & Ramei fecere: non eſt deprimere ambitionis cauſa ſummos viros: ſed eorum næuos, publicæ vtilitatis gratia, ne alios in errores incautiùs abripiant, indicare: rem literariam ad commodiorem docendi, diſcendiq́; rationem, promouere: ſanctã veritatem rebus omnibus, amicis, præceptoribus, & alijs potiorem ducere: iuxta aureum illud, ſed nimis oſcitanter à vobis inſpectum, veſtri Ariſtotelis in Ethicis adagium: Amicus Plato, &c.

Ariſtoteles ipſe multis Philoſophis cõtradixit. Vide ad cap. 12. reſp. & Lu dou. Viu. l.1. de cauſ. corr. art.

Aliâs enim nemo digniùs inſimulari poteſt huius tam tetri criminis: quàm veſter idem Ariſtoteles: qui ſuis in ſcriptis omnes ſuæ ætatis Philoſophos multoties exagitauit, non ſemper ex ſeria cauſa: & inter hos, omnium ſapientiſſimum Platonem, pręceptorem ſuum. Nec aberit ab hoc crimine tuus, Scherbi, Galenus: qui in multis, nec tamén ita claris, Ariſtoteli tuo contradixit: teſte Cardano, in pręfatione lib. de Subtilitate.

Galenus cõtradixit Ariſtoteli.

Cùm igitur quilibet, vt ſapienter Iuriſconſulti dicunt, præſumatur bonus: donec contrarium probetur: Ramus autem bonum finem prætenderit in hiſce controuerſijs aduerſus

uersus Aristotelem: neminem hac professione sua (qui mos est Peripateticis, vt Rameos loco moueant) loco suo mouerit: nusquam in scriptis suis huius rei minimum dederit indicium: quis tibi spiritus, iterum dico, secreta pectoris ipsius aperuit? Ecquid autem P. Ramus ad honores adspirauit? nequaquam. Repudiauit oblatos, vt testis est historia vitæ ipsius, à clariss. viro Ioh. Thom. Freigio (quem Magistratus tuus olim, summo honore, in suo Gymnasio fuit dignatus) fideliter descripta. Scholastico stipendio contentus altiora non petiuit, vt magnus ille Germaniæ Doctorum princeps Sturmius de ipso testatum reliquit: cùm volare vir eloquentissimus, & omnibus corporis ac ingenij dotibus adfatim instructus, altè per aulas patriæ suæ regias potuisset.

Quæ verò fuerit hæc ambitio: siue in ipso Ramo: qui propter hoc Aristoteli contradicendi studium in extremas deuenit calamitates: ab omnibus despicatui habitus: explosus: ab officio remotus: denique crudelibus Magnatum de Peripatetico regno furijs & odijs expositus: siue in Rameis; qui propter hanc causam, quòd in Aristotelis sententiam semper ire nolint, ab Academijs, & Scholis illustrioribus excluduntur: stipendijs & officijs suis spoliantur: nec vllos ad honores aditus inibi relinquuntur: vulgò verò calumnijs tra-

ducuntur: condemnantur: & tantùm non ex vrbibus, & regnis expelluntur: vel instar hereticorum comburuntur. Cùm interim Peripatetici triumphent vbique: sceptra Scholarum teneant: & eruditionis atq; scientiæ sedem possideant. Miserrimus ambitus! cui; non opus est vt Magistratus pœnam statuat: nemo enim nisi vehementer insanus sic ambiat: vt, cùm possit ad honores conscendere: supprimi, & à quouis contemni malit.

Vide verò, candide Lector, quàm grauis sit hæc calumnia: & quàm minimè deceat: Dn. Philippum Scherbium Philosophum tàm leui de causa, tàm sinistras de viris bonis suspiciones commouere: & ex nuda suspicione pessimo crimini Ramo vertere: cuius incomparabiles virtute doctrinaq; viri, ante ipsum pariter erunt rei: quodq; post ipsum probârunt, & adhuc laudi maximæ putant, clarissima nostræ ætatis multorum Doctorum lumina, vt in Dissertatione mea pleniùs est excussum. Cuius autem pectoris est: in sinistram & pessimam partem viri boni rationes & actiones abripere: quòd Scherbius hic noster seriò triumphat? Certè si pietatem videamus: *charitas Christiana suspicax non est*, Apostolo teste. Si verò virtutem: *vt quisq; est vir optimus: ita difficillimè alios improbos esse suspicatur*: quæ grauis est Tullij sententia.

1. Cor. 13. v. 5.

Sed alterum videamus huius suspicionis argu-

Ecquid Ramus Ari-

argumentum: *quòd Ramus non intellectam carpſerit Ariſtotelem.* Vnde verò potuiſti videre: quòd Ramus vix ſemel Ariſtotelem legerit: interpretes autem nunquam. Perſuadebis hoc forſan illi: qui Rami, & Thalæi ſcripta nunquam vidit. In his enim, maximè animaduerſionibus, quî fieri poſſet: vt Ramus vix ſemel illum legerit: cuius omnia capita, & omnes penè verſus in numeratò habet, ac ex omnibus ipſius ſcriptorum angulis ſollicitè conquirit, interq; ſe confert? Quoties interpretes nominatim omnes modò refellit: modò probat in aduerſis partibus! hos tamen non legit, quorum opiniones allegat cateruatim? Sola vel per tranſennam Rami, & commentariorum Thalæi inſpectio, ſtupidiſſimi te erroris, ne quid dicam grauius, coarguet. Quæ res ita permouet multos, ex ipſis hoſtibus: vt coniecturam fecerint inde: diligentiſſimum Ariſtotelis, & interpretum lectorem fuiſſe Ramum. Mera igitur hæc etiam ſuſpicio tua Scherbi; qua ſuſpiciunculam falſam demonſtrare voluiſti: quam cùm refutet ocularis demonſtratio in legendis P. Rami ſcholis Logicis, Phyſicis, Metaphyſicis, &c. non vlterius in eius refutatione laboro.

ſtotelem non legerit.

Legerit, inquies ſanè: ſed non ſatis diligenter: *veterum ſcripta ſunt opulentiſſima metalla, quorum in alto latet vena, adſiduè plenius reſponſuræ fodienti. Vnde Galenus requirit in Peripateticæ Phi-*

losophiæ studioso ἐρωτικὴν μανίαν: *Ammonius Asininos labores.* Quòd ista ratione Ramei neq; legerint vnquam, neq; legant adhuc Aristotelis scripta, qua vos soletis, libenter tibi dabo. Non enim hoc vnius hominis vitam requirit: qui singulos penè verborum apices adoret; & ex ijs subtilitates licèt vanissimas venetur: quiq; contrarietates euidentissimas, tautologias futiles, obscurissimas latebras, & vanitatum plurimas lacunas vndiquaq; conciliare, excusare, explanare, & exhaurire penitus laboret. Non ita per DEI gratiam stolidi sumus, nec ita crassi: vt, cùm simus homines ratione donati; patiamur nobis vel stupidissimos *Asini labores* imponi: vel nos præ nimia commentationum vanissimarum perplexitate, *furore*, quod tu de nobis fieri cupis, *corripi.* Verè Galénus! Verè item Ammonius! Quid enim si vitæ dies omnes, vsq; ad decrepitam senectutem, legendis his argutę delectabilisq; subtilitatis aculeis impendatis; quid, inquam, præ Rameis, qui, reliquis omissis, paucissima duntaxat excerpunt vsui futura, reportatis? præter perplexas subtilitatum, distinctionumq; vanarum strophas: & terminorum Aristotelis insolentium Labyrinthos: quibus omnia, quæ per se clara fuerint, vobis obscurare collibet. Vester enim in artium quæstionibus enodandis hic mos est: vt omnia perplexis differentiarum subtilium vanitatibus

In Aristotelis lectione nõ esse hærendũ: nec ad singulos apices subsistendum.

Aristotelici studiosè sunt obscuri.

inuoluatis: omnia Græcorum vocibus, latinis & vſitatis artium terminis abiectis, obueletis; dummodò vulgo vos ſic oſtentetis, quod reconditam vobis ineſſe ſapientiam iudicat: cùm ita perplexè diſputatis: ita ſubtilibus diſtinctionibus & Græcorum vocibus omnia contegitis; vt non niſi veſtri ſimilis intelligere queat: quid dixeritis. Teſtor hîc omnes incorruptè iudicantes; & prouoco ad veſtra hoc in genere ſcripta. Quantò verò meliùs eſt; ſcapham dicere ſcapham: vt eſt in prouerbio: hoc eſt: neglectis ſubtilitatum cuniculis, omnia perſpicuè, & populari facilitate (quam vos Vatiniano perſequimini odio) terminis artium latinis, & cognitis vbiq; ſeruatis, diſſertare: & vt vel pueri queant intelligere, craſſa Minerua tradere.

Ecquid Ariſtotelis ſcripta meliora nouis.

Sed oro te, Scherbi, per omnes Muſas; quæ tibi cauſa: quòd, ad ſuperſtitionem vſq;, tantam veterum, hoc eſt, Ariſtotelis (de huius enim corio tibi luditur; quamuis id erubeſcas dicere) ſcriptis virtutem tribuis? Nunquid habent eam à vetuſtate? minimè. Noua enim fuerunt: & eo tempore ſi tàm ſapientia non fuêre: vetuſtas illa ſapientiora nunquam reddidit. Vnde igitur: niſi ab auctore Ariſtotele? At qua ratione fuit is vltra ſortem humanam, & extra aleam poſitus? vt ſolus ipſe ſapuiſſe: alij verò omnes, & hoc ſeculo: quo florentius litterarum omnium ſtudio nullum

fuit, litteratissimi quique, præ illo pueri tibi videantur? Hoc igitur, & quod in mea dissertatione pleniùs hac de causa dixi, quæso nobis enoda.

Veruntamen sit ita: quòd in Aristotelis scriptis preciosissima latitent metalla. Latitant sanè: & nimis verè latitant, nimis abstrusa: vt ea non nisi perspicacissimus indagator acquirere possit. Quia verò nostro seculo viri magni Rodolphus Agric. Phil. Melanth. Sturmius, P. Ramus, & alij laboribus indefessis eruerunt ex Aristotelis scriptis illa, nimis altè recondita, per compendiosa artium quarumlibet præcepta: quanta foret stultitia, & quàm stupor asininus, ipsorum studijs contemtis, de nouo fodinas ingredi, & eruta iam antè metalla, *laboribus asininis* eruere vicissim?

Quomodo in artibus procedendum.

Quin potiùs, studiose iuuenis, quisquis es, hoc age: Philosophiæ præcepta, breuiter ab istis, quos dixi, ex Aristotelis & aliorum scriptis contexta, studiosè peruolue: lege: relege: Ipsum verò Aristotelem, loco commentatoris sicubi planus est, percurre: quod vtile fuerit, excerpe: quod obscurum, perplexum, futile, neglige: nec ad singula verba subsiste: néue ad subtilitates exiles tanquam ad Syrenios scopulos cõsenesce. Tu verò Scherbi cum tua cohorte vale: & ipsam *furore* tuo primùm Galenico inebria: vt ita faciliùs verè *Asini-*

Asininos tuos *labores* ipsis imponere possis. Sobrius enim si quis fuerit; vix est, vt illud oneris subire velit.

Et hæc tecum de primo capite conferre paullò prolixiùs habui necesse: quòd ipsam causæ molem satis tu quidem prudenter hîc constitueris: morbi scilicet, quem curandum suscepisti, causam. In cuius indicatione quo candore, qua mente versatus fueris: penes candidum Lectorem iudicium esto. Qua enim fronte (vt artificium tuum breuiter ostendam) Rameos traducis: quòd *omnem Philosophiam* contemnant: quòd *perpetuus* sit ipsis innouandi pruritus: cùm nihil amplius ostendere possis: quàm quòd in aliquibus Aristoteli disputando contradixerint certis rationibus: quòd pauca quædam semel innouârint? Qua mente ambitionis ipsis studium adfingis, & odiũ veritatis? cuius rei documentũ, præter suspiciunculas vanissimas, in cerebro tuo, inuidiæ & odij venenis infecto, natas, profers omninò nullũ? Quo verò animo studiosos tibi semper iuuenes opponis in thesi: cùm pòst in hypothesi, per ipsorum latus, P. Ramum lancea transfodias maledica? Si te læserunt temeritate iuuenili prolapsi iuuenes: quid hoc ad Ramistas attinet; cur illos aperto Marte non aggrederis? cur illorum culpam vniuersitas Philosophiæ Rameæ luet? Si verò, quod vndiq; comparet, cum P. Ramo tibi res est: quid

opus iſta Sophiſtice: qua tibi toties vmbratiles Antagoniſtas opponis? Et ſi quid ex feruore & animi forſitan impotentia commiſiſſet ex humano lapſu P. Ramus, à veſtro grege rabioſiſſimè laceſſitus, quòd modeſtiæ fines alicubi transcenderet: quid hoc ad ipſius ſectatores & diſcipulos: qui veriſſima & vtilia iuuentuti præcepta Rami tradunt: nuſquam verò in Ariſtotelem, vel alium, niſi laceſſiti, calamum ſtringunt? Hoccine Philoſophum decet: omnia in ſiniſtram partem interpretarier? hoccine Chriſtianum: calumnijs & falſis proximi famam grauare teſtimonijs? Nunquam enim, licèt diſrumpi velis, ambitionis vllius, ſpreto ſtudio veritatis, vniuerſitatẽ ordinis Philoſophici inter Rameos conuinces? nunquam, quòd vel *omnem* veterem Philoſophiam, vel vllius vllam contemnant: ac perpetuo vexentur innouandi ſtudio, probabis: immò tua te, vel inuitum, & ignorantem, conſcientia redarguere videtur ex eo: quòd ſcopum pag. 2. tranſponis: quodq; fictos tibi ferè ſemper opponis aduerſarios. Cauſa igitur morbi cùm in nobis eiuſmodi ſit nulla: morbus vbi? quid opus te, Medice.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT II.

Nonnulla de iudicio ex Philopono, Gal. & Ariſtotele.

Quid

QVid mihi, dices (malùm) cum iſtis mancipijs interpretum, quaſi ipſe non poſſim analyſi mea adhibita, de rebus iudicium ferre, verumq́ à falſo diſcernere: quaſi etiam non habeam in promptu ſacroſanctas illas leges veritatis, iuſtitiæ, ſapientiæ. De legibus his poſtea: De iudicio, quoniam id tibi ex neſcio qua analyſi, tam confidenter ſumis, combibe quæſo hæc ex officina Galenica & Ariſtotelica. Primùm Philoſophi munus ſummum, non tàm ſpectari, in dijudicando vero à falſo ſimpliciter, quàm in diſcernendis propoſitionibus apodicticis, topicis, oratorijs, & ſophiſticis. Immò Philop. ait, ſummæ hoc eruditionis eſſe, poſſe videre, cuiuſmodi propoſitionibus quidq́ confectum ſit. Audiamus Gal. 3. & 4. cap. ſecundo de decret. Hipp. & Plat. Nihil enim aptius poteſt dici in noſtram philoſophandi rationem: Atq́ hac potiſſimùm ratione ſcientiam pariens, ac demonſtratiuum concluſionis aſſumptum ab oratorio, exercitatorio & captioſo diſtat: de quibus quidem nullam prorſus neq́ artem, neq́ meditationem à Zenone & Chryſippo traditam fuiſſe ſatis liquet. Inde ſiquidem effectum eſt, vt in eorum libris omnis generis aſſumptiones confuſæ, nullo habito de-

» lectu commixtæ sint, sæpeq́ præcedat, si ita inci-
» derit, oratoria argumentatio, sequatur exerci-
» tatoria ac dissertatoria, deinceps scientiam ef-
» ficiens, postremo loco, si ita sors tulerit, captiosa
» collocetur: nempe quòd ignorabant, scientiæ ef-
» fectrices sumtiones, ad rei de qua ageretur sub-
» stantiam referri, eumq́ finem ad scopum habe-
» re. Ex reliquis igitur omnibus, quæ extrinse-
» cus petuntur, sumptionibus, eas quibus vtitur
» dialecticus, tum ad exercitationem, tum ad so-
» phistas coarguendos, tũ etiam vt de adolesentis
» profectu periculum faciat, eiq́ ex animo fœtum
» educat, atq́ ad inuentionem alicuius rei, dubi-
» tatione aliqua oblata, eum promoueat: eas in-
» quam omnes, siue dissertatorias, siue exercita-
» torias, siue locales ac topicas tuo arbitratu ap-
» pelles licet: de nominibus enim parum laboro:
» modò distinguere eas ab ijs, quibus scientia
» comparatur, summo studio nitaris. Quæ au-
» tem ab ijs etiam remotiores sunt, maximeq́ ex-
» emplis, veri similibus scilicet, ac ciuilibus re-
» bus, inductionibusq́ huiusmodi quibusdam,
» vel testimonijs nitantur, vtro libuerit modo,
» siue probabiles, siue oratorias dicere, non ma-
» gnifaciendum: Illud curandum, vt naturam
» ipsarum diligenter agnoscas. Longissimè à rei,
de qua

de qua quæstio fit, substantia, absunt cauillatoriæ ac captiosæ. De quibus vniuersis tractatum à veteribus sigillatim est: de cauillatorijs propositis, seu malis pronunciatis, seu propositionibus, seu rationibus (nihil enim ad præsens negotium interest) in captiosis coargutationibus, quos elenchos appellant: de Oratorijs, in artibus Rhetoricis: de disceptatorijs in Topicis: de scientiam facientibus, in libris de demonstratione, quæ videlicet secunda resolutoria ipsi inscripserunt. Quamobrem quicunque aliquid conatur demonstrare, debet is prius sumptionum ipsarum differentiam probè tenere: deinde multa diuturnaque exercitatione id assequi, vt vel si aliquis dixerit, ex quo quidque genere sumptum sit, ex dictis agnoscat: vel si nemo dicat, statim ipse ad quamlibet rem propositam, accommodata possit inuenire: atque vt vno exemplo complectar: quemadmodum in supputandi arte fieri consueuit, ita hîc quoque faciendum. Supputator quis effici cupit, principiò numeros omnes, quos illi quadratos, vel parte altera oblongos nominant, ediscit: deinde non exiguum tempus in partiendi & multiplicandi meditationē impendit: postremò quàm paucissimis quibusdam regulis adhibitis, iam ad

quam-

» *quamlibet propoſitam ſummam ſubducendam,*
» *idoneus euadit. Vnde non poſſum non mirari*
» *ſæpenumerò arrogantem iſtam vulgarium ho-*
» *minum ſapientiæ venditationem, qui ſi fortè*
» *proponatur, Atticarum drachmarum quinque*
» *& viginti millium, ſexcentarum triginta ſe-*
» *ptem, fœnus centeſimum, quodnam ſit, menſi-*
» *bus quatuordecim exactis, rem ſtatim ad ſup-*
» *putatores deferunt, planè conſcij, propterea*
» *quòd neq; exercuerint, neq; didicerint quip-*
» *piam, vt puto, nullam ſe huiuſmodi supputan-*
» *di peritiam callere: demonſtrationis tamen v-*
» *ſum vnuſquiſq; ſibi temerè arrogat: quamuis*
» *neq; ab alijs quicquam prorſus didiciſſe, neque*
» *per ſeſe ipſe inueniſſe, cùm non quæſiuerit, cer-*
» *tò ſciat: præſertim cùm etiamſi demonſtrandi*
» *viam aliquam didiciſſet, ſatis id non erat fu-*
» *turum, ſed adhuc adhibenda fuiſſet proculdu-*
» *bio prius exercitatio: ſiquidem neq; oratores, ſi*
» *de partiendis quibuslibet cauſis, artem aſſum-*
» *pſerint, ſatis habent, ſed inſuper ad artis præ-*
» *cepta exercitationem adiungunt. Vellem itaq;*
» *qui ſe demonſtrandi peritum eſſe ait, viam*
» *prius ac rationem, qua ad demonſtrationes tra-*
» *ctandas vtitur, in medium afferret, deinde*
» *quàm exercitatus in ea fuerit, manifeſtaret.*

Nunc

Nunc verò multos inuenias, qui quomodo syllogismi, qui ex tribus de modo propositionibus constant, qua item ratione, qui indifferenter concludunt, vel si qui tales sunt, vt prima vel secunda vtantur positione, resolui debeant, apprimè sint exercitati, sicuti videlicet in alijs huiuscemodi, vt ex tertia vel quarta propositione syllogismos resoluant: quanquam alio modo poterant, & breuius iuxta Antipatri traditiones id facere: vt omittam interim, quòd tota hæc talium syllogismorum complexio, nihil aliud est, quàm maxima inutilis rei curiositas: *quod ipse etiam Chrysippus re videtur comprobare, qui in operibus & scriptis suis nusquam ad decreti confirmationem horum syllogismorum adminiculis indigeat: Quomodo aut internosci, ac distingui scientiæ effectrices sumptiones à Dialecticis, oratorijs, ac captiosis possint, neq; quicquam alicuius momenti tradiderunt, Chrysippei, neq; aliqua ad id aliorum præceptione vti videntur. Hoc igitur primùm intimis sensibus velim comprehendas: Deinde & hoc: Quinq; esse, quibus præcipuè facultatem benè iudicandi, summus talium rerum iudex Aristoteles, tribuerit: cognitioni: virtuti: scientiæ: arti: experientiæ.*

Cogni-

Cognitioni quidem in primo Nicomach. Vnusquisq; ea rectè iudicat, quæ cognoscit: & 4. Metaph. Omnes falluntur in ijs, quæ non habent cognita. Virtuti, itidem in Nicomachijs: De honestis actionibus bonus vir rectè iudicat: & in Endemijs: In singulis bonis, quod maius aut minus est, virtus rectè iudicat. Scientiæ, in polit. 3. Iudicium attribuimus, inquit, nihilominus pædia præditis, quàm ijs, qui sciunt: & Plato in Lachete: Oportet iudicari à scientia, opinor, non à multitudine, quòd rectè iudicandum est. Ibidem de experientia & arte: Videas, inquit, eiusdem esse iudicare, num quis rectè curârit, cuius & curare & ægrotantem ob præsentem morbum, sanum facere: Hic autem est Medicus: consimiliter autem se res habet in alijs cùm experientijs, tùm artibus. Experientiæ etiam Aristoteles attribuit 10. Nicomach. Experientes singularum rerum, rectè opera iudicant. Analysi ergò tua, siue syllogistica, siue axiomatica, etiam atque etiam vide, quousque progredi possis: ne ea fortè deceptus, pro rebus, inanes rerum species & vmbras consectère.

RESPONSIO AD CAPVT II.

IN rebus dijudicandis auctoritatem insuper habendã, & Pythagoricum αὐτὸς ἔφα, quod ante multa secula derisit, ante Ramum, Tullius, deserendum Ramei præcipiunt: ex aduerso verò rationis monumẽta ponderanda, & experientiæ testimonia conquirenda statuunt. Hanc in sapientissimorum exemplis, & hystorijs, indagant: illius in norma Logica, quam DEVS ipse mentibus inseuit, quæq; fallere nunquam potest, fundamenta collocant: vt illa propositio sit vera, quæ ad certam consequentiæ Logicæ regulam congruit: falsa verò, quæ delirat ab eadem. *Fundamẽtũ & summa Rameæ doctrinæ.*

Hæc est Analysis nostra: quam nobis hîc, nescio cur exprobres. Analyses enim vobis putatui peculiares esse: quas in prioristicas & posterioristicas, monstrosis in mõstrosa re vocabulis, dirimitis. Sed quid hîc scabiei curas medice? *Philosophi munus summũ, non tàm spectari in dijudicando vero à falso simpliciter: quàm in discernendis propositionibus apodicticis, topicis, oratorijs, & sophisticis.* Quid hoc est dicere? cur non explicas igitur vsum muneris huius: cur non accuratè singulas hasce propositionum species discernis, & exemplis illustras? Quis enim ille medicus: qui digito tantùm monstrat aliquod herbę genus ægroto: non autẽ rationes adplicandi

candi

candi & præparandi subijcit, frigidum ne vel calidum: capitinè vel pedi sit adhibendum? Ad Galenum quòd nos ablegas: id nihil est. Præterquam enim quòd nihil aliud, hoc prolixo sermone dicit: quàm quod distinguendum esse inter eiusmodi propositiones iubeat: ille multò subtilior est; quàm vt à crassis Ramistarum ingenijs, quæ *Philosophicæ subtilitatis*, vt socius quidam tuus impudentissimè blaterat, *capacia non sunt*, percipi queat.

Salzhueberus in Log. axio. Arist. explicatione.

Vaga Galenica distinctio.

Veruntamen quid est illud: quod *intimis comprehendere sensibus* debemus? Ex quorum argumentorum genere sumta, talis propositionum in quatuor species distractio? Putarem ex materia: vt apodictica rerum esset necessariarum; topica probabilium: siue contingentium: Sophistica fallacium. Has enim tres duntaxat species enumerant socij pleriq; tui. At oratoria mihi scrupulum iniectat. Si enim ita vocatur: quòd oratoribus sit in vsu: cur non addis eodem modo propositiones Poëticas, Historicas, Ethicas, Physicas, Mathematicas, Musicas, Arithmeticas, &c. quibus Poëtæ, Historici, &c. vtantur. Ex materiæ enim varietate si deducta sit hæc diuisio: tot erunt necessariò propositionum species; quot Philosophiæ partes. Et cur oratoriæ non competunt omnibus: quia orator apodicticis, topicis, & sophisticis propositionibus vtitur. Ideóne apodicticum thema fiet oratorium?

Propositio oratoria.

rium: si ab oratore adsumatur ornamentis exornatum Rhetoricis? non credo: cùm oratoriam procul dubio probabilem duntaxat censeas. Quid igitur à topica differt? cóne, quòd illa breuis sit; ista verò copiosa, secundum Zenonis pugnum, quem minitari Rameis soletis, in differentia Rhetorices à Logica statuenda? Egregium verò munus Philosophi: videre posse: ecquid propositio breuis sit, an longa?

Sed futili distinctione missa: si finis Dialecticæ vel Logicæ summus est inquisitio veri, quòd contra Ramum non ineptè propugnare mihi quidem videmini: cur non etiam summum Logici, & Philosophi summum munus erit veri à falso dijudicatio? Et cùm apodictica, vt iam dictum, sit rerum necessariarum, topica, & oratoria probabilium, sophistica falsarum: quid, quæso te per excellens acumen tuum, clariss. Scherbi, quid aliud est: distinguere apodicticas à topicis & sophisticis: quàm distinguere secundum P. Ramum verum à falso, & verum necessariò vicissim, ab illo: quod probabile est: & contingens? Apodicticam enim discriminans à topica: discriminas necessarium à contingente: alterutram si differas à sophistica: differs verum necessariò vel contingenter à falso. Hoc infringe, si vir es, Peripatetice: & remedium illud tuum, ex pharmacopœa Galenica depromtum, tibi

Distinctio illa Galenica, Ramo plus quàm notissima.

reſerua. Sani enim ſunt, hac etiam in parte, Ramei. Interim verò iſtoc vteris ſalubriter, aduerſus tuam tuorumq; ſcabiem, in ſyllogiſmorum reductionis inutili doctrina: quæ nihil aliud eſt, *quàm maxima inutilis rei curioſitas*: vt tuus hic diſertè ſanè perquam verè, Galenus adſerit.

Sed videamus alterum etiam ex officina Peripatetica pharmacum: *quinq; ſunt, quibus facultatem iudicandi tribuit Ariſtoteles: cognitioni, virtuti, ſcientiæ, arti, experientiæ.* Quid tum poſtea Scherbi? antequam tu dentires, id Ramiſtæ nouerunt, longè quàm tu ſcitiùs. Quid aliud Ramus ſemper in ore habuit: quàm vt rationi, quæ cognitione, virtute, ſcientia, arte, & alijs inſtrumentis vtitur, prior in iudicando locus daretur: Experientiæ vel vſui poſterior? Vbi autem veſtrum illud αὐτὸς ἔφα? quod crebrò ſoletis vſurpare: cùm de Rameis iudicatis controuerſijs. Non equidem in hoc numero reperio. Recipe igitur aureum illud è Platone, quod Rameis obgannis: *oportet iudicari à ſcientia, opinor non à multitudine.* (Tu adde, nec ab Ariſtotele, vel alio quouis Philoſopho) *quod rectè iudicandum eſt.* Vides ita, quòd huius etiam capitis in curatione tua labor ſit fruſtraneus: cùm remedia profers: à Ramiſtis longè meliùs, quàm à teipſo cognita.

DIS-

DISSERT. SCHERB.
CAPVT III.

De Propositionibus κατὰ παντός.

QVid sint hæ propositiones notum est. His aiunt sese vti, tanquam rectißima regula & mensura veritatis. Neq; enim quicquam ferendum in artibus, quod hodie verum sit, cras falsum: aut quod parte alia sit verum, alia falsum. Hîc tu mihi rursus & ad hæc, & ad alia quædam, cape ista.

I. Perfectißimum in quaq; re & definiri, & pro mensura constitui cæterorum, quæ ab eo primò, longiùs aut minùs longè recedunt. Fecit id Galenus in optima corporis constitutione: fecit idem in definiendis morbis, suisq; notis circumscribendis: vt Apoplexiâ, Epilepsiâ, Caro. Fecit Plato in informanda sua Republica. Fecit Cicero in Oratore adumbrando. Fecerunt summi pictores in eximia pulchritudine depingenda. Præceptum est didascalicum apud Aristotelem in lib. de Cœlo: Vnumquodq; est mensurandum maximo, quod potest, & minimo quod non potest.

II. Neq; tamen si quid aliquantùm absit

ab rectißimo illo, ſtatim pro diſtorto & prauo habendum, nomineq́; eius rei priuandum. Oratorem expreßit Cicero, qualis fortaßis nullus vnquam fuit: at ſcripſit idem tamen de claris oratoribus. Ariſtocratiæ ſunt & fuerunt præſtantißimæ, quamuis vix, ac ne vix quidem vlla, quæ omnes numeros habeat philoſophorum ciuilium. Sunt, erunt, & fuerunt, multæ formoſißimæ virgines, etſi nulla vnquam fortaßis, quæ ideam Apellis tueri poßit.

III. Eſſe in ſcientijs gradus quoſdam ἀκριβολογίας ἐπιστημονικῆς. *Prima Philoſophia in multis eſt ſupra demonſtrationes & definitiones: quia, cùm ſcientia ſit* ἀρχιτεκτονική, *& inſtar capitis ſeſe habeat, aſcendit ad ea vſq;, vbi duo tantùm termini reliqui ſunt, Ens quâ Ens, & eius propria* πάθη: *tertius autem terminus, re alius à ſubiecto, nullus compâret. At oportet in vera demonſtratione, terminum medium, non ſolùm alicuius eſſe cauſam, ſed etiam alicui. Ita igitur ſeſe habet ſcientia hæc* ἀνυπόδεικτος. *Quod ſi iam* ὑποθέτως *vel præteriens intueri velis, incredibilis quoq; ſeſe obijciet varietas. Mathematici res ſuas ſubiectas conſiderant, vt concauum, id eſt,* ἐξ ἀφαιρέσεως *materiæ: ea autem eſt cauſa varietatis, mutationis, & tenebrarũ.*

Nil

Nil mirum igitur, si nulla in ijs ἔνστασις reperiatur, sed propositiones sint κατὰ παντός. At Philosophia naturalis ἐκ προαιρέσεως materiæ agens, rem cõtemplatur vt simum. Quò fit, vt ibi vigeat Aristotelicum illud: Semper ita se res habet, nisi quid impediat. Ergóne quid hîc turbes, si maximè nõ omnia vsquequaq; respondeant, Aspice etiam in hoc παρόδῳ prudentiæ ciuilis partes, Nomótheticen, senatoriam, militarem, forensem, Rem videbis valde mobilẽ, multisq; opinionibus & coniecturis fluctuantem. Audies canos illos, pragmaticos homines, qui dicent, res humanas multum habere caliginis: neq; facilè posse commune quid constitui, quod non incurrat in aliquam difficultatem: Prudentiam enim non solùm spectare rem, sed etiam τὰ ἐν κύκλῳ, quæ circumstantiæ solent vulgò dici. Audies etiam Iurisconsultos, omnem definitionem, id est, regulam in Iure, esse periculosam. Idem videbis, si te conuerteris ad artes, quæ dicuntur coniecturales, & ab Aristotele inordinatiores: in quibus, quia dubia est consecutio finis, magnam quoq; partem prudentia sibi vendicat. Nam in ipsis Aphorismis Hipp. qui pro oraculis habentur, satis est, iudicio etiam Galeni, si veri sint vt plurimùm. Quæ qui-

dem fortaßis causa est, cur Aristoteles interdum artes has, & prudentiam, non longè ab opinione abesse voluerit. Idem quoq; videbis in regulis Physiognomiæ, Agriculturæ, Oratoriæ, Gubernatoriæ. Omitto hîc Grammaticam, in qua, quoniam numerus verborum finitus est, possunt ea omnia ad verbum numerari, quæ communem regulam non sequuntur. Omitto etiam γυμναστικὴν peripateticorum, in qua effata multa sunt, maiori tantùm ex parte vera. Cùm igitur scientiæ non sint tanquam numerus, cui siue addas aliquid, siue detrahas, statim mutatur species, sed multiplicem admodum varietatem habeant, quid quæso faceret Aristoteles in communi earum organo tradendo? quid aliud, quàm quod omnes sapientes fecisse diximus, summum scilicet & accuratißimum designauit, quo vteremur, in dijudicanda cuiusq; ἀκριβολογίᾳ: Non quòd talis planè nulla detur: sed quòd non semper. Fecit nimirum idem, quod Medici, qui de vini natura disputant: proponunt hi notas omnium optimi & generosißimi vini, sumptas ab odore, colore, sapore, substantiæ modo, & facultatibus. Neq; tamen quisquam ex ea disputatione adeò ebrius fit, vt reliqua vina, quæ notas illas

illas tenuiores & obscuriores habent, aut etiam quibusdam planè carent, vina esse neget. Idem igitur tu iudica de scientijs quibusdam, & demonstrationibus, dilutioribus. propositiones κατὰ παντὸς, multas tibi in ijs ostendam: multas tamen oportet etiam feras, quæ non habent, vt dicunt Græci, ἅπαντα ὀγδῶ. Audi si placet, Galenum 4. de ratione vict. morb. acut. Omnis doctrina, inquit, ex vniuersalibus recipit incrementum: quæ si perpetua fuerint, primam habent vtilitatem: si verò magna ex parte, secundam: quòd si anceps quippiam, vel rarum fuerit, id ad doctrinam inutile censendum est. Audi Aristotelem 6. Metaph. Omnis scientia aut est eius, quod est semper, aut vt plurimum. Intuere exempla: Nascitur homo, vt docent Physici, decimo mense lunari, aut nono Græcorũ: At non est hoc verum κατὰ παντὸς. Condemnandáne igitur propositio? Docent ijdem, octimestrem fœtum non esse vitalem: Aestatem esse calidam & siccam: hyemem frigidam & humidam: Hominẽ esse animal quinq; digitorũ: Admirabiles Oceani ἀυξομειώσεις 24. horis bis fieri: aut Euripus in Eubœa 12. horarũ spacio, septies fluit & refluit, & talia quidẽ ὅσα κατὰ τῆς. Intuere etiam physiognomica apud Hipp.

Quicunq; ruffi, naso acuto, oculis paruis, mali: Quicunq; ruffi, simi, oculis magnis, boni. Item: *oculi non nictantes, iracundi.* Intuere politica: *Senes sunt auari: Iuuenes se putant omnia scire. Fæmina est propter metum* φυλακτικωτέρα: *vir autem* ἀμυντικώτερος, διὰ τὴν ἀνδρίαν: *Depositum est reddendum: pupillus sine consensu tutoris, non obligatur.* Quid? signa Medicorũ illa, quæ ab eis dicuntur familiaria, itemq; ea, quæ sunt propria quidem, sed non inseparabilia, tollesne ex arte? Tu verò non tolles, si sapis. Præterea præcepta ista: *Vterum gerentibus, sanguis nõ est mittendus: neq; etiam pueris, ante annũ decimum quartum: Non est item purgandum, ante concoctionẽ,* an non oculo prudentiæ intuebere? In talibus enim artib. interdum propter aliquid vrgens, ab arte recedere, summa ars est. Deniq; omnes propè Aphorismos tibi obijcio: Quos si tu, propter tuũ κατὰ παντὸς, velles Medicis è manibus extorquere, næ illi te nõ vt scabiosum tractarent, quomodo ego, sed vt furiosum, vinculis & compedibus constringi iuberent. Quid ergò? dices. Falsa etiam mihi ferenda sunt in artibus? Audi: Aliud est verum necessarium, & perpetuũ, aliud verum plerunq; vel, si nõ abhorres ab auctoritate

& ver-

& verbis Auerrois: Aliud est verum, cui opponitur falsum, quod impoßibile est aliter sese habere: aliud, cui opponitur falsum, quod non est impoßibile aliter sese habere. Illud persequuntur scientiæ accuratiores, hoc eæ, quæ molliori brachio suas res demonstrant. Discamus paulatim distinguere, & gradum faciemus ad sapientiam. Atque hæc quidem paucis de propositionibus, κα̂λα πα̂ντος.

RESPONSIO AD CAPVT III.

HIc tandem scabiei suam noster Medicus curam aggreditur: & ipsum prudenter vlcus attingit: ex quo lues reliqua totum corpus occupauit. *Perfectißimum, inquis, debet in quaque re definiri, & pro mensura constitui cæterorum: quæ ab eo primò longiùs, aut minùs longè recedunt. Fecit id Galenus, Plato, Cicero, &c.* Rectè sanè. Fecit idem P. Ramus, in optima artis, aut scientiæ cuiuslibet forma constituenda: vt nulla in ipsa toleraret præcepta: nisi rectissima, & perfecta. Cùm enim artes ideò sint inuentæ, vt sint normæ certitudinis: iuxta quas in hac rerum vanitate, quæ pleraq; perplexa & incerta reddidit, omnia dirigere, & examinare possimus; ecquid ipsa etiam recta sint: aut à rectitudinis alicubi lineæ delirent: pro- *Artes debent habere normas, h. e. præcepta rectißima.*

fectò necessitas ipsa postulat, & naturalis ratio dictat: vt regulę artium & pręcepta omnia, quantùm pote fieri, sint rectissima: ne si quasdam normas habeant incuruas aut Lesbias: homines illis tanquam certissimis freti seducantur, & in errores prolapsi culpam pòst in artes transferant.

Et quamuis id omne, quod à recto delirat, *pro distorto statim, prauoq́, non sit habendum:* sicut commodè dicis: pro rectitudinis tamen, & probitatis id in vniuersum, & simpliciter regula retinendum non est. Quid igitur?

Quid si præcepta minùs recta?

Si planè fuerit id abnorme: nihil vt in eo boni rectiq; compareat: radicitus exstirpandum. Si verò recti quid in eo sit: illud rectum, si maius est obliquo, vel ex maiori parte verum: vt tu loqueris; seruandum quidem fuerit pro rectitudinis norma: dummodò anomalia, vel id quod est obliquum cautè possit exceptionis loco subijci. Si verò sit obliquum maius ipso recto: rectitudinis illud in præceptorum sede locum non obtinebit: attamen excerptum, seorsim extra præcepti sedem commentario vel notis relinquitur: quemadmodum tuus hoc disertè Galenus ita fieri persuadet. Qua ratione Ramus, & Ramei suas in omnibus Philosophiæ partibus, & quibuscunque facultatibus artes describere sunt huc vsq; soliti: adspiciantur omnes artes, ab ipsis exsculptæ nostra ætate: Grammatice, Rheto-

Rhetorice, Logice, Ethice, Physice, Iurisprudentia, Medicina, &c. & rem ita se habere, qui sanus est, apertè dixerit.

Satin' hæc sana medice? sana sanè: siquidem satis hæc ipsemet omnia probè sic inculcas. Quam igitur hîc scabiem quæso scabis? *Quòd Ramus non ferat artis præcepta, nisi sint κατὰ παντὸς ac per omnia vera?* Sic quidem se res habet. Idcircò tamen, non excludit, vt tu calumniaris, illa præcepta, quæ sunt constantibus, & certis exceptionibus obnoxia. Cùm enim exceptio, vt scitè Iurisconsulti, in casibus non exceptis firmet Regulam: manebit κατὰ παντὸς omne præceptum: quod de Anomalia confestim certa protestatur. Consequens enim verum est de omni antecedente: at anomalia in antecedente non est amplius: sed per exceptionis interuentum sublata. Quid igitur obstat: quò minùs præceptum tolerari possit in arte, per certas exceptiones confirmatum. Excludit autem omnia: quæ sunt incerta, & contingentia: quorum exceptiones certæ, & constantes dari nequeunt: & quæ modò vera, modò falsa fiunt. Quò Medicorum plurima signa referuntur, & physiognomica per te allata: quæ licèt vsum habeant; artis tamen præcepta, quæ semper certa, fieri non debent.

Ecquid regula κατὰ παντὸς admittat præcepta exceptione laborantia.

Sic enim verum est hoc iuris præceptum & κατὰ παντὸς: *Pupillus sine auctoritate tutoris non obligatur:*

gatur: nisi rem suã fecerit, inde meliorem. De omni.n.pupillo verũ est:& in omni causa vn-co excepto. Sic illud etiam: *Depositum est semper reddendum* deponenti: si vel per se, vel per aliũ repetat. De omni hoc verũ deposito: deq; omni deponente. Nec obstat obiectio de furioso: hic enim repetere non potest: cùm ratione careat:& pro absente habetur. Ex aduerso verò: *Quicunq; sunt ruffi: sunt mali: Senes sunt auari: iuuenes putant omnia se scire:* & similia: nõ sunt κατὰ παντὸς: nec idcircò præcepta constituunt: quia non semper vera sunt: nec illa, quæ delirant, certis exceptionibus à regula tolli queunt.

Quid de contingentibus et incertis statuendum.

Quid igitur de his fieri debet: suntne ad orcum condemnanda? Bona verba quæso. Nemo Rameorum condemnauit huiusmodi Regulas; nemo *ex Medicorum manibus extorsit.* Disce tu quoq; Scherbi paulatim distinguere; quòd aliud sit; in artis siue scientiæ præceptis, quæ normæ sunt certitudinis, incerta ac contingentia non ferre: extra artem verò prudentiæ artificis, in vsu, talia relinquere: vel seorsim, notis atque commentarijs artium commendare: quod Ramei faciendum censent: aliud verò planè condemnare & exstirpare funditus: quod tu tuiq; similes ipsis calumniosè adfingitis. Retineto igitur tibi tuos aphorismos, per Ramistas; sed ita, vt illos non scientiæ: *sed prudentiæ*, vt ipsemet fateris; *oculis* adspicias. Iterum vide: quàm fuerit inutilis hæc

hæc etiam cura: quòd ſcabies hîc in Ramiſtis ſit planè nulla; vel ſi ſit; illa tibi communis ſit, cum ipſis.

DISSERT. SCHERB.

CAPVT IV.

Alia admonitio de veritate.

VErùm addamus ad hanc regulam veritatis, vt appellant, etiam quædam alia eôdem pertinentia. Docet Ariſtoteles, res omnes à fine appellandas eſſe. Docet idem auctor, in theoretica Philoſophia veritatem propriè eſſe finem: Vocat enim eam ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας θεωρητικὴν: *Nam ſcientiæ theoreticæ in ſemetipſas, vt circulus redeunt: non enim extra rei ſubiectæ cognitionem porriguntur: ac in ijs res cognoſcenda eſt menſura veritatis: Intellectus verò menſuratum:* Veritas. *At verò ciuilis & humanæ Philoſophiæ finis, eſt bonum in actione honeſta incluſum, aut (ſi ita mauis) ſalus Reipub. ex quo ſimilis dicitur eſſe lineæ rectæ:* Honeſtas. *&* μέτρον *in ea eſt* νοῦς πρακτικὸς: *res verò eſt* μετρητὸν. *Quò fit, vt practici non conſiderent cauſam* καθ' αὐτὸ, ἀλλὰ πρὸς τι, καὶ νῦν, *vt ait dux noſter. Iam in artibus neutrum horum propriè ſpectatur, ſed id quod vocatur vtile. Artium* Vtile.

tium enim omnium finis (si artem salubrium exceperis) propter aliud expetitur: idq́ opus ferè est, post ποίησιν relictum. Eâ re etiam fit, vt artes extra ambitum Philosophiæ sint: quæ omnium optima diuisione, in theoreticen & practicen diducitur. Ex his autem efficitur, in **Theoretice.** *theoreticis propriè (si à fine omnia nominanda sunt) veras propositiones & vera theoremata quærenda esse. In quibus tamen ipsis interdum doctrinæ causa cogimur hypothesibus vti,* **Practice.** *ad summam sinceritatem reuocatis. In practicis autem potiùs præcepta nominanda sunt salutaria, vel bona vel honesta, vel conducentia ad Reipub. statum, vel si quo alio nomine pla-* **Artes.** *cet. De vocabulis enim non litigo. In artibus propriè vtilia. Hinc iam causa constat, quare in politicis, itemq́ in artibus, etiam dum docentur, non pauca admittamus, quæ ad limam reuocata, vera non sunt. Exempli causa: In politicis περὶ τὰ ἤθη vtitur Aristoteles hac hypothesi, animam diuidi in rationalem & irrationalẽ, quæ est Pythagorea & Platonica, quamq́ vt vulgò receptam, secutus est etiam in libris Exotericis: Attamen hanc ipsam, vt falsam & alienam, in tertio de anima oppugnauit, & expugnauit. Inde in magnis moralibus vocatur*

tur adumbrata, & ab Alexand. Aphrodisiensi, diuisio communis. Ea autem in Nicomach. satis erat ad distributiones virtutum. In politicis ἁπλῶς, idem auctor voluit legislatorem suum, *grauidis fœminis iter aliquod quotidianũ imponere, ad cultum venerationemq́; deorum, quæ præsunt gignendis animantibus. Hoc certè non veri causa, sed ne fortè domi desides fœminæ, minùs robustos ciues Reipub. parerent. Ita etiam Iurisconsulti publici boni causa, multis vtuntur fictionibus.* Patrem ab hostibus captum, *libertateq́; amissa, multis tamen pòst annis liberatum, faciunt tanquam nunquam captum, vt quæ interea à seruo & filio acquisita sunt, ei sint acquisita. Iidem posthumum, adhuc in vtero matris, considerant vt in lucem editum. Idem faciunt in testamento eius, qui postea ab hostibus in seruitutem abductus est. In arte medica, an non Galenus ipse admonet, si accuratè res examinanda sit, ἀειπάθειαν esse concedendam? quia tamen hoc obesset distinctioni terminorum sanitatis & morborum, eam vult alienam à Medicis ab Aesculapio oriundis. Ad consimilem ferè modum, quo Cic. ait: aliter leges, aliter Philosophos, tollere astutias: leges, quatenus tenere* Iurisconsulti.

manu

manu possunt: Philosophos, quatenus ratione & intelligentiâ. Ita faber ad inueniendam latitudinem cellæ vinariæ, metitur dolij circulum, docetq́ suum tironem, circulum continere duos diametros & tertiam: At in erudito puluere Geometrico nunquam probabit, diametrum esse commensurabilem circulo. Ex quibus perspici potest, in quibusdam artibus falsa nonnulla proponi, non ita esse absurdum.

RESPONSIO AD CAPVT IIII.

QVOD Medici ferè solent in curationibus obseruare: vt ægroto primò leuiora propinent remedia: quæ paullatim morbi vim flectere incipiant: ne subita & violenta mutatione, si fortiora statim porrigant, in alia peiora forsitan incitat Symptomata: eandem videtur hîc medendi methodum secutus esse Medicus noster. Qui cùm priori capite leniter attigerit scabiem Ramistarum: qua ferre nolũt in artibus alia præcepta, nisi κατὰ παντὸς vera: deq; regulis illis, quæ exceptionibus obnoxiæ sunt, egerit admittendis: en hic violentiora præbet: vt obtineat: *absurdum non esse, si falsa proponantur in artibus quibusdam nonnulla.* Postulatum sanè nimis audax: & si tiro quispiam protulisset id, insigniter impudens. Videamus tùm.

Ecquid absurda & falsa in artib. ferenda.

Fun-

Fundamenti loco ponit diuisionem Philosophiæ Peripateticam: in Theoreticen & Practicen: quarum illa, sit in nuda cognitione veri: hæc in actione. Quæ licèt *omnium* videatur *optima* tibi: multis tamen mihi modis est vitiosa. Vtraq; enim tam cognitio, quàm actio, sunt fines artium, & scientiarum omnium: illa, subordinatus: ista, summus: adeoq; cognatæ res: vt hæc sine illa nunquam possit esse: illa verò si careat hac: vana sit, futilis, & inutilis futura. Dicam planiùs. Nulla ars sine theoria, hoc est, contemplatione præceptorum, veranè vel falsa sint, potest cognosci. Cognitio veri in qualibet arte præcedat est necesse. Nemo negauerit hoc. Proinde nulla ars vel scientia (non enim ego subtiliter inter artem & scientiam, vt Peripatetici solent, distinguo) in sui nuda Theoria consistit: sed spectat superiorē finem, propter quem theoriæ suorum præceptorum operam nauari voluit.

Ecquid Philosophia sit Theoretica vel Practica.

Exempli gratia: Grammatica, Rethorica, Logica, sunt artes: quarum finis primus est theoria, hoc est, vt cognoscamus rationem purè loquendi: ornatè dicendi: benè disserendi. Ecquid hîc consistit illarum artium studiosus? nequaquam. Theoria enim percepta, ad praxin se accommodat: sermonem purum & ornatum format: prudentem de rebus dissertationem instituit, veritatis inqui-

Artes dicendi.

Ethica. rendæ cauſa. Sic Ethica ars eſt: cuius theoria conſiſtit in cognitione honeſti, per omnes vitæ ciuilis, in omnibus rebus, actiones, tam animum quàm corpus hominis informantes. Praxis indè ſequitur; vt ad honeſti præſcriptum, quod theoria preſcripſit, actiones ſuas *Physica.* artis ſtudioſus conformet. Sic Phyſica conſiſtit primùm in Theoria rerum naturalium; earum cauſas, qualitates & vires indagando. Ecquid hîc ſubſiſtit? minimè. Theoriam enim hanc protinùs ad vſum transfert: alius in vita communi pro rerũ diuerſitate ad alium. Videamus per ſpecies. Aſtronomia nónne condiſcitur; vt ipſius praxis eximia ſit in diſtinctionibus temporum: in adminiſtrandis rectè agriculturæ ſtudijs: in ſanitate corporis humani meliùs tuenda: & alijs pluribus in vita rebus accuratiùs expediendis? Heccine praxis eſt? Stœcheologiæ nónne praxis eſt ingens in medicorum Chimia, & pharmacopæorum laboribus? Mineralium rerum, & herbarum, aliarumq; vegetabilium: item anatomiæ ſcientia, nonnè tota dependet è praxi medicorum? nónne qui rebus eiuſmodi ſolidè cognoſcendis incumbit, in vſum trans- *Mathematica.* fert Medicinæ quod didicit? Immò illæ ipſæ ſcientiæ ſublimiores Mathematicæ nonnè præſtantiſſimam in omni vita praxin habent: in rebus dinumerandis: dimetiendis; ædificandis?

Quæ-

Quænam igitur illæ ſcientiæ: quarum finis eſt ſummus *ſola cognitio? quæ in ſemetipſas vt circulus redeunt, nec extra rei cognitionem porriguntur?* Quæ verò tam bona diuiſio: cuius partes inter ſe non ſunt diſſentaneæ, vel, vt vos loquimini, ἀντιδιῃρημέναι? neq; etiam ex omni parte veræ? Omnis enim ſcientiæ finis, vt dictum modò, Theoria eſt: omnis item finis eſt, praxis: quãnuis alterutra ſit illuſtrior in vna, atq; in alia. Nouerunt hoc Iuris interpretes vetuſtiores, & omnes moderni: qui duas ſui ſtudij ſedes poſuerunt: vnam theoriam in cognitione legum: alteram praxin in forenſibus actionibus: in quibus leges ad vſum transferuntur. At Iuriſprudentia vobiſnè theoretica? nihil minùs.

Etſi tam bona diuiſio veſtra: cur Logicen ſcientiarum ſcientiam, artium artem ſuæ ditioni non incluſit? Vnde natæ tam futiles & ineptæ, quæ veſtras diuexant ſcholas, controuerſiæ: Sitnè Logica pars Philoſophiæ, vel inſtrumentum, vel vtrumq;, vel nihil omninò. Nimirum fragilis eſt, manca, & multimodè vicioſa tantoperè tibi laudata diuiſio: cui quicquid ſuperſtruxiſti, confeſtim corruet.

Hinc enim perſpicitur, quàm vanum ſit illud, quod dicis: *In Theoreticis tantummodò veritatem: In Ethicis honeſtum: In artibus autem vtilitatem ſpectandam.* Nam ſi in artibus vtilitas ſpectatur; ita tamen vt honeſta ſit & vera: Si item hone- *Ecquid in ſcientijs verum duntaxat: in ethicis honeſtum: in*

artibus vtile spectatur.

honestum spectatur, vt sit verum: & si verum, vt etiam sit vtile: Certè verum & vtile non spectatur magis in illis: quàm in istis artibus: sed in omnibus æqualiter. Si verò, quod fieri debet in his contrarijs speciebus, ita spectantur in singulis seorsim quælibet, sine alterius intuitu: Sequetur: verum posse dari, quod non sit honestum, nec vtile: Honestum item, quod non sit verum: vtile deniq;, quod neq; verum, neq; honestum. Quàm verò sunt hæc absurda: quàm impudentia?

Veritas & vtilitas in omnibus scientijs et studijs spectanda.

Ramei igitur paulò fortasse rectiùs putant veritatem & vtilitatem spectandam in omnibus artibus omninò: vt scientia, quæ non futura sit vtilis, vana sit, & futilis, de quo postea pluribus: vt item præceptum, quod non sit verum: vel vtile, quod non honestum: subitò repudiandum: tanquam erroris in vita communi seminarium.

Quàm verò puerile: quòd in Ethicis spectetur honestum: non autem propriè verum. Nónne quæritur in Ethicis de singulis præceptis: ecquid vera sint, hoc est, ecquid verè congruant ad honestatis & virtutis normam? At hoc nónne est spectare verum? *Cœlum esse mobile & rotundum:* dicit Physicus. Quæritur; ecquid hoc sit verum: ecquid ita se res habeat? Ethicus dicit: *virtutem non esse sine proæresi:* amicitiæ causa delinquendum non esse. Quæritur itaq;: ecquid hæc honestatis decreta sint

vera: ecquid ita se res habeat. Ostende mihi differentiam Peripatetice: cur, cùm vterq; de thematis veritate quærat, in illo verum magis spectetur: quàm in isto. Labascit igitur hoc etiam. Sed videamus exempla.

Aristoteles, inquis, *animam hominis distribuit in rationalem & irrationalem; quam tamen alibi diuisionem repudiat.* At inquam ego: Si falsa est hæc diuisio; vt ego tecum falsam statuo: nunquam ponere debuit illam tanquam veram Aristoteles. Quod enim falsum est in Physicis: id in Ethicis verum est nunquam. Et quomodo quod falsum est, ex sese verum produxerit; vel veri fundamentum erit? Ne dicam: quòd nulla necessitas, nulla vtilitas illum mouere quiuerit: vt dogma falsum sub veri propagaret specie. Quasi verò distributio virtutum non possit haberi: nisi falsæ huic subnixa sit hypothesi? Quid autem profecit ista inconstantia doctrinæ suæ summus ille Peripateticus? Hoc nimirum: vt ex istis locis, vbi sub veri specie proponit hanc diuisionem, superioribus annis in Ecclesijs & Scholis controuersiæ tristes sint exortæ: cùm hac Aristotelis auctoritate, quidam ferociores redditi, validè, & cum magno scandalo diuisionem eiusmodi propugnauerint. Quorum opinionem Academia Oxoniensis Anno Salutis ↀ. CC. LXXVI. contra Aristotelem condemnare voluit. Hic fructus est incon-

stantiæ Doctoris Peripatetici: qui modò ait: modò negat idem: I nunc, & alia inconstantiæ ipsius profer exempla.

Quod è politicis profers: ineptè satis accommodas. Legem ferri voluit Aristoteles fęminis vterum ferentibus: vt pro felici partu singulis diebus Dearum, quæ præsunt gignentibus, delubra adirent. Hîc quæritur de honestate legis, ecquid verè sit honesta? Omninò. Non modò propter motum, qui grauidis est commodus: sed multò magis, vt pijs votis Dearum benignitatem, quò feliciùs ad Reip. commodum fœtus suos enitantur, sibi demereri queant. Quid hîc quæso falsi?

Fictiones Iurisconsultorum. Fictiones Iurisconsultorum nihil eò tibi proderunt: vt hinc elicias falsa tradi in artibus posse. Illæ enim non pro veris assumuntur: sed pro fictis, ad veri duntaxat effectum consequendum: necessitate & vtilitate flagitante. Fingitur, qui est in vtero, natus esse: Fingitur captiuus aliquandiu apud hostes detentus, semper liber fuisse: non quòd ita reuera se res habeat: Sed quòd æquum sit; id ita quasi credere: quò, quod aliâs ex vero sequeretur, hinc concedi possit. Idq; non vi fictionis: sed autoritate publica & potestate solius principis. Qui cùm potuisset captiuum aliâs in ius pristinum restituere: & illius, qui nondum natus est, commodo in futurum inseruire: ne paulatim legis generalis auctoritas vi-

leſceret, quæ contrarium ſtatuebat: æquitas autem ſumma rigorem legis mitigari vellet; hoc tandem remedio fictionis vtriq; conſultum fuit: vt & æquitas obtineret; & Iuri ſuus honos maneret inuiolatus. Falſum igitur præceptum traditur in iure nullum: Fingitur autem in pauciſſimis quibuſdam caſibus aliquid, ex neceſſitatis & vtilitatis impulſu: quod poteſtate principis effectum veritatis habet: ita vt non ex ipſa fictione: ſed ex principis, & legis autoritate verum ſuſtineatur: ſubtilitatis legum conſeruandæ cauſa.

At inquies, idem fecit Ariſtoteles. Si diuiſionem is animæ poſuiſſet iſto loco, tanquam fictam, ad verum inde exſtruendum: diceres aliquid. At poſuit, vt verum & legitimum artis præceptum: nulla cum præmonitione vel proteſtatione fictionis. Veruntamen ſi maximè hoc eſſet: quæ fuit vtilitas, quæuè neceſſitas fingendi? & ſi hæc etiam eſſet: quis dedit Ariſtoteli poteſtatem falſum pro vero ſtatuendi: quæ pendet à ſolo principe: qualis ipſe non fuit? vtut tibi iam dux ſit, & princeps in peripatetico imperio: immò rex & Imperator, & pontifex, & omnia in omnibus.

De Galeno quod dicis, ad Galenicos dimitto: hoc tamen ſuggero: Si concedenda eſt ἀει-πάθεια: quòd accuratè rem ponderando ſit in homine reuera: quòd toties & conſcientiam ſuam, & veritatem ipſam oppugnauerit Gale-

nus: quoties illã sic esse negauit. Cicero disputans in officijs de bona fide in contractibus seruanda, deq; mala punienda sic effatur: *Aliter leges, aliter Philosophi tollunt astus. Leges quatenus manu tenere res possunt: Philosophi quatenus ratione & intelligentia.* Quibus proculdubio verbis indicare voluit discrimen inter Ethicos & Iurisconsultos: Quorum illi hominis mores considerant: Isti verò ciuis. Philosophi igitur hominis actus etiam internos reformant: adeò vt mentem quoque puram, & ab omni fraude, vel cogitata duntaxat immunem cupiant: impuram puniant. Iurisconsulti verò, cùm ciuilis commercij societatem tueri tantummodò sibi propositum habeant, internos actus non curant: externos tantùm, *quos manu tenere possunt*, hoc est, in externis actionibus animaduertere, gubernant, & aberrantes puniunt. Vnde regula ipsorum: Cogitationis pœnam nemo patitur. Quod certè Philosophus, qui mentem quoque considerat internam, non concesserit. Quid hîc cupis Medice: nihil omninò video, quod tuę thesi seruiat. Ecquid leges idcircò internos affectus malos, quia non attingunt, approbent? Non ideò: sed quia non est hoc ipsorum officij: in alienam messem falces suas non dimittunt.

Quid autem vis tandem cum Fabro tuo. Hoc itidem architectis discutiendum relinquo. Interim ego pro crassitie mea non video:

deo:

deo: quomodo circulus, si sit in praxi diametro commensurabilis: in theoria tamen hoc non obtineat. Cùm mihi persuasum sit, theoriam id accuratè delineare, quod in praxi sit depingendum viuis coloribus. Sed vtut sit: illud multò minùs credo: quòd faber suum tironem doceat: circulum continere duas diametros & tertiam. Archimedes enim Prop. 3. de dimens. circ. demonstrat: quamlibet circuli circumferentiam habere ad suam diametrum rationem propemodum triplam sesquiseptimam: qualis est in 22. ad 7. hoc est, quamlibet circumferentiam suam diametrum continere ter, & insuper vnam Diametri septimam partem. Quod experientia magistra probat. Nisi igitur alia tibi causa, & alius metiendi modus: iube fabrum tuum suos tirones meliùs in dimensionibus circuli instruere.

Quid igitur actum hoc capite? pharmacum quoddam conatus es obtrudere; quod in rerum natura non extare debet. Nullum enim ex omnibus à te prolatis, intentionem tuam comprobat, testimonium: præter vnicum Aristotelis, in animæ falsissima diuisione: quem in causa propria testem non accipimus. Statuimus igitur fallax, absurdum, & perniciosum dogma tuum: *In artibus etiam dum docentur admittenda multa, quæ non sint vera, ad limam reuocata:* Et: *In artibus quibusdam falsa nonnulla proponi non esse absurdum.*

DISSERT. SCHERB. CAPVT V.

Alia quædam contra crimen falſitatis, & inconſtantiæ.

PORRÒ *autem videndum & illud apud Ariſt.* quando loquatur κατὰ δόξαν, & quando ex animi ſui ſententia. In exemplis quidẽ nota res eſt, hunc virũ peruagatis opinionibus fuiſſe vſum: idq́; rectè. Exemplorũ enim per ſe eſt illuſtratio. In Topicis etiam, in Rhetoricis, in categorijs, in problematis (ſi modò eius ſunt) neq; accuratè, neq; ex ſua ſententia ſemper. Quin certis de cauſis, neq; in acroamaticis ſemper. In Categorijs pro generibus numerantur *Subſtantia, Qualitas, Quantitas: quæ tamen aut ſunt πρὸς ἕν, aut ἓν κατ᾽ ἀναλογίαν: At talis ἀχρονύχισις, non fuiſſet ad captum tironũ. Locus in quantitate, peruulgatâ tum opinione, pro interuallo accipitur. In tertia ſpecie Qualitatis (vt etiam in Meteorol. quâ de Iride) ita videtur loqui, quaſi radiorum emiſsionem in aſpectu approbaret. Deniq; ſi extarent Dialogi Ariſtotelis, qui fuerunt λόγοι ἐξωτερικοί, conſuetudo huius Philoſophi eſſet nobis clariſsima. Fuerunt enim*

enim verè peripatetici (quod Lucianus falsè suo more irridet) Esoterici & Exoterici. Neq; sine causa, quæ ex Epistola Platonis ad propinquos Dionis potest elici, & ex principio Rhetoricorum Aristotelis. Immò vt dixi, etiam in acroamaticis, hanc consuetudinem secutus est, vt in loco alieno, alienis etiam sententijs vteretur. In primo quidem Meteorolog. quærens, quomodo Sol, tametsi non sit calidus, possit tamen calefacere, satis tum putabat esse, si ex communi Mathematicorum sententiâ de radijs, tanquam corporibus quibusdam tenuissimis, responderet. In Metaph. item quærens, quomodo ex partibus definitionis, fiat vnum, vti definitum est vnum, respondet primùm κατὰ δόξαν *Platonis, tum notissimam, (quamuis eum non nominet) quia, inquit, vltima differentia est tota definitio: Suam autem mentem demùm in extremo 8. aperit.* Atq; hic quidem locus multorum errorum in Philosophia peripatetica occasio fuit, dum Platonica de vltimis differentijs, & de dichotomia ad definitionis inuestigationem, pro Aristotelicis venditata fuerunt. *Ita in libro* περὶ τοῦ ποσαχῶς, *qui est latinorum quintus Metaph. cap. de substantia, dæmonia ex*

multa

multorum opinione inter ſubſtantias numerantur. Dices, Cor Philoſophi. Ferrem ego fortaſſis hoc, in libris ad popularem intelligentiam ſcriptis: At in acroamaticis, quæ hæc vel animi vel doctrinæ peruerſitas, non ſemper ex ſententia loqui?
1, *Audi: In locis alienis ſi cauſas nouas ſemper adduxiſſet ſibi probatas, lector ſtatim reſiliÿſſet, niſi rem illam totam ibidem pertractâſſet. At hoc fuiſſet veſtem recondere in panario. Nimis aliena à Meteorologia eſt diſputatio de vera ratione videndi. Itaq; reſeruanda fuit*
2. *ad libros de ſenſu & ſenſili. Neq; illud negligendum, vt videamus, quemadmodum veteres Philoſophi ab initio* ἀδιαρθρώτως *&* ὡς ἐν τύπῳ *rem tractent, ac paulatim ſoleant* διαρθροῦν, *&* ἀκριβέστερον ἀναγράφειν. *Gal. quidem initio libri de ſang. miß. decem ſcopos mittendi ſanguinis affert, primarios cum ſecundariÿs adhuc confundens: progreſſu verò diſputationis, rem magis magisq; diſtinguens, tres tantùm primarios proponit. Ita Ariſtoteles in prioribus libris de motu, Generationem & interitum in ſpeciebus motus numerat, vt etiam in poſtcategoriÿs: poſtea tamen has* μεταβολὰς *eſſe docet, non* κινήσεις: *quo loco licet videre eorum, qui infe-*

infestis vnguibus omnia lancinârunt, ridiculos triumphos. Ad eundem ferè modum Gal. in libris Isagogicis ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον *res prosecutus est: verbi gratia, De pulsibus ad tirones, inæqualem & inordinatum pulsum, eundem facit: At in libris ad prouectiores, accuratissimè distinguit.* Hæc enim est mentis humanæ conditio, vt à tenebris primùm progrediatur ad vmbram, atq; inde paulatim ad clariorem lucem. *In eodem libro, nullam proposuit definitionem pulsus: quia, vt ipse docuit de diff. puls.* longis potiùs explicationibus rerum natura tironibus patefacienda est, quàm oratione in angustum adducta: *Quod tamen peccatum hodie peccamus omnes: & noua Philosophia vel maximè. Considerandum est & istud, esse inter species perfectas, quasdam medias interpositas, tanquam inter plantas & animalia* ζωόφυτα *quædam. Natura enim, vt aiunt Scholastici, non facit saltum. De ijs autem vtrumq; extremum sine reprehensione enunciari potest. Notum est Platonis ænigma: Vir non vir, videns non videns, luce non luce, percussit non percussit, lapide non lapide, auem non auem, in arbore non arbore. Id est, Hermaphroditus*

ditus luſcus diluculo leuiter percuſsit pumice noctuam in arbuſto. Quomodo etiam Baſilius magnus de Eunuchis dixit: eos inter mulieres eſſe viros: inter viros mulieres. Hac ratione Theophraſtus roſam nunc numerat inter frutices, nunc inter ſuffrutices. Sic Ariſt. animalibus imperfectis interdum tribuit phantaſiam & guſtatum, interdum adimit. Ita in virtutibus dianoëticis, prudentia & ars medio quodam loco, ſi certitudinem ſpectes, interiectæ ſunt inter opinionem ex vna parte, atque ſcientiam & νοῦν ex altera. Qua re 6. Nicomach. ſcientijs & νῷ tanquam habitus certi adnumerantur, & ab opinione diſtinguuntur: At in extremo libro analyticorum, eodem ferè loco habentur, quo opinio: quia ibi dignitatem & præſtantiam ſcientiæ ac intelligentiæ præ reliquis habitibus volebat extollere. Ita quod eſt per ſe ſecundo loco, medium eſt inter ſe primo, & verè κατὰ συμβεβηκός: Hinc ſine vitio talia quæ ſunt, nunc huc, nunc illuc reuocantur. Verbi gratia: Communia ſenſuum obiecta, à Gal. dicuntur ſentiri per accidens; ab Ariſt. per ſe. Ita Galenus alterationem materiæ morbificæ, in febribus & tumoribus præter naturam, nunc quidem putredinem appellat, nunc coctio-

coctionem: quia est media quædam, quæ quodam modo est vtrumq;. Multa alia consultò prætereo, quibus iure reprimi deberemus, ne tam præcipitanter ad ferulam falsitatis, aut etiam inconstantiæ, decurreremus. Sed aut hæc satis sunt ad moderationem, aut nihil erit satis.

Neq; tamen quisquam putet, me veteres ita defendere, quasi aut nunquam errâssent, aut nunquam ipsi secum pugnâssent. Apage sis. Scio hoc supra sortem humanam esse. Sed idem tamen & hoc scio, multò eos rariùs huic culpæ affines esse, quàm noui philosophi velint: rariùs etiam quàm illi ipsi, qui in eorum erroribus exagitandis, adeò iuueniliter vectantur. Quantò maior laus Galeni, qui etiam in ijs, quæ apud Hippocratem non commodissimè dicta erant, vsurpabat suum illud plenum humanitatis, omnisq́; grati animi: Veterum dicta, inquit, amicè accipienda sunt: & sanè barbarici ingenij est, asperè cum ijs agere, à quibus fundamenta sapientiæ didiceris. Odissésne tu summum tuum amicum, quòd interdum febricitaret? Aut pulcherrimam virginem, quia tantillum næuum in facie haberet?

RE-

RESPONSIO AD CAPVT V.

QVOD satis iam diu per quatuor capita sub pallio conclusum tenuit medicus noster: Hîc tandem perbellè promit. Cùm enim toties in thesi iam vociferando Rameos accusârit exsecrandi criminis: quòd *omnem veterem Philosophiam contemnant: summos quosq; Philosophos pedibus conculcent: breuiter, omnia veterum scripta, dictaq́; fastidio ingenti abijciant*: en prodit in hypothesi tandem solus & vnus Aristoteles. Hîc est omnis vetus Philosophia: hîc omnes philosophi: omnia veterum scripta. Hæc est illa formosa, de qua tot annos sub prætextu veteris Philosophiæ peripatetici digladiantur, Helena. Res profectò valdè mira! suspensos tenuit omnium animos in veteri Philosophia: Putabamus agi de scientijs, & artibus, vt quidem præ se ferebat caput præcedens, omnibus: Ecce! agitur de Aristotele: & de falsis opinionibus ipsius palliandis. Nimirum si forsan illa loco cedant, & deficiant: quæ præcedente capite, pro falsitate in artibus ferenda, dicta sunt: Hîc alios satellites, qui non artes ampliùs, sed Aristotelem falsitatis & inconstantiæ purgent, in subsidio collocat. Stratagema sanè non ineptum. Sed hoc incongruum: quòd à scabie Rameorum curanda desiliens, ad Peripateticorum principis obte-

obtegendos næuos, & errores (ſcabiem dicere non auſim) excuſandos ſe contulit.

Verùm videamus hos etiam: *Ariſtoteles non ſemper accuratè, nec ex animi ſui ſententia, ſed κατὰ δόξαν*, hoc eſt, *ex peruagata vulgi opinione loquitur.* Quid audio! Miraculũ illud naturę prægrande: princeps illæ ſapientiæ humanæ, in quo natura omnes ingeniorum dotes vno concluſit, loquiturnè ex peruagatis opinionibus? In exemplis? Quorum doctor accuratiſſimum debet habere delectum: vtpote quæ præcepto debent afferre lucem, & certitudinem præferre: Nonnè fiet igitur, vt vitiũ exempli redundet in præceptum? Aut quî fiet, vt ex vulgi opinione, quæ ſolet eſſe vaga, ſine ratione, inconſtans, incerta deniq; verum confirmetur præceptum? Nonnè præcepta ab obſeruatione exemplorum primitus collecta: vt præceptis exempla tantò ſint potiora; quantò præſtat archetypus & viua facies: ab imagine depicta. Sed idem etiam facit in Topicis: Rhetoricis: Categorijs: problematis: immò acroamaticis: & in ſublimibus ac diuinis illis Metaphyſicorum libris? Ita quidem tu dicis.

Exempla præceptorum debent eſſe certa, vera.

At hîc obteſtor te, per Peripateticæ Philoſophiæ decus, clariſſime Scherbi: Si Ramus alicubi pro vulgi opinione ſermocinatus eſſet: quid diceres? vah, cœlum terræ miſceres: ad arma conclamitares: iſtenè Philoſophus videri

Ecquid Doctorẽ Philoſophum deceat vti peruagatis opinionib.

deri vult, & vulgi feculentis opinionum sordibus se conspurcat? idq; inter media præcepta: Inter ipsa sublimis Philosophiæ sublimia decreta? Nonnè populus magnus est erroris magister, Socrate teste? Hæc & multò duriora te dicturum tàm verè scio: quàm hæc me scribere: Nec id iniuria. At si Ramo vitio daretur hoc tam grandi: qui in extrema iam senectute sapientiam Aristotelis, vt tu iudicas, ex ima vix semita conspicere potesset: quid dicendum de ipso sapientiæ humanæ thesauro: de Aristotele summo: qui non semel etiam in altissmo sapientiæ metaphysicæ throno se demittit, in fœtidissimas vulgi opinionū lacunas: humi repit: vanis & peruagatis vulgi somnijs inhæret: *quæ postea multorum errorum in Philosophia Peripatetica* (cape tibi hoc Aristoteles: hoc patroni tui de tuis sphalmatis est effatum. Si Ramus ita diceret: grande nefas esset, & morte piandum) *occasio fuerunt.* Sed inquis: *In locis alienis si causas nouas semper adduxisset sibi probatas, lector statim resilijsset, nisi rem illam totam ibidem pertractâsset.* Egregia verò purgationis causa? Cur si fuit id in locis alienis, ista quæsiuit & tetigit alieno loco? Cur non suo proprio discutienda liquit? Cur non eadem facilitate suam animi sententiam veram protulit: qua vulgi falsam? *Lector resilijsset.* Non igitur tantum mentis habuit bonus ille vir: vt lectorem isthuc remittere potuisset: vbi senten-

tias

tiæ illius rationes offendiſſet? Et non ita circumſpectus fuit: vt duobus ſaltem verbis proteſtatus eſſet: vt vulgus ſentit; pro vulgi more, opinione, &c. Quod ſi noluit: vtrum maius eſt periculum: lectorem propter omiſſas ſententiæ veræ cauſas reſilire; & eundem propter falſas vulgi opiniones à ſapiente pro veris allatas in errores induci? Id quod plerunq; ſic accidit, te ipſo teſte. Quis enim ita naris emunctæ, ac diffidentis eſſet: vt ſuſpicari, ac olfacere poſſet: Philoſophum præcepta ſapientię tradentem, vulgi fallaces opiniones, ſub veri ſpecie, & ſub perſona ſua, comminiſci? nonnè decet ipſius eſſe credulum diſcipulum? Cur ſi res ita ſe habet, diſcipulo potiùs ipſius non inſuſurratis illud Epicharmi: μέμνησο ἀπιστεῖν: diſcipule: noli omnia vera putare: Sæpè falſas vulgi opiniones pro veris atque ſuis ſententijs intermiſcet Ariſtoteles: quæ multorum poſtea ſunt errorum occaſiones.

Vnum ita fuit, quo curare vis Ariſtotelis vulnera, malagma: profer aliud: *Veteres Philoſophi ab initio* ἀδιαρθρώτως *rem tractant, ac paulatim ſolent* διαρθροῦν: hoc eſt: Ariſtoteles ab initio plerunq; rem ſolet inordinatè, confuſè, informiter, indiſtinctè, inexplanatè (hæc enim vis vocabuli huius) proponere: Deinde verò paulatim clariùs, diſtinctiùs & accuratiùs efformare. *Hæc enim eſt,* inquis, *mentis humanæ con-*

ditio, vt à tenebris ad vmbram & lucem posteà progrediatur. Non est hęc inter Rameos & te controuersia; quid veteres in cõmentarijs scribendis egerint: Sed quid meritò fieri debeat hodie in præceptis Philosophiæ describendis. Fuerint sanè veteres hac vsi via: quòd prę nimia rerum perplexitate & obscuritate, dexteriùs animi commenta proferre non potuerint. Ideóne vos etiam, qui non ampliùs inuentores: sed doctores esse vultis, ea facere decet? Aliud est artes inuenire: & prout occurrerit vnumquodque commentarijs inscribere: Aliud autem artes inuentas ex Philosophorum prolixis commentarijs efformare & in ordinem redigere. Appello tuam conscientiam & candidum lectorem: Si possit aliquis tribus enunciatis ordine positis doctrinam pulsuum manifestare: nónne satius hoc est, & vtilius: quám si cum Galeno tuo, decem confusè proponas: quæ postea redigas ad tria: sic vt pro tribus tredecim prostituas? nónne meliùs est à clarioribus ad obscuriora, quę lucem à prioribus accipiant, & sic etiam commodè intelligi possint, vt Ramei solent, procedere: quàm planè obscura pręmittere, quæ non possis, nisi tandem peruenias ad postrema, percipere. Stultissimus omnium haberetur: qui per obscuras ędes, & benè longas, in conclaue quoddam posticum progressurus, facem in conclaui positam accenderet, & sic per obscuram viam

In artibus tradendis obscura nunquid præmittenda, quæ postea declarentur?

viam ad lucidum conclaue penetraret: cùm facem sibi præferre potuisset, & à lucidioribus ad obscuriora paulatim loca progredi, face semper obscura pleniùs illustrante. Quid igitur de vobis sentiendum: qui mauultis à tenebris ad vmbram, ab vmbra ad lucem progredi, cùm lucem præferre possetis?

Vide quæso candide lector: quid faciat insanum illud iurandi in verba alicuius studium? Nigrum, potiùs candidum dicunt, & quod horridè confusum est, mirabiliter ordinatum: quàm vt veritati cedant, & suum ducem relinquant indefensum. Eò enim dementiæ prorumpit hic noster, vt audeat hoc aureum Galeni thema probare: Longis potiùs explicationibus rerum natura tironibus patefacienda, quàm oratione in angustum adducta, hoc est, vt ipse explicat: Definitione præmissa. Proh hominum fidem! Quis adeò fuit effrons hoc politissimo seculo: quis adeò solenniter impudens: vt illud saltem cogitare, nedum publicè proloqui in animum induxerit?

Ecquid longis potiùs explanationibus, quàm breuibus definitionibus docendū.

Dixit eloquentiæ & sapientiæ latinæ princeps Cicero: *Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci: vt intelligatur, quid sit illud, de quo disputetur.* Dixit etiam Horatius, politissimus ille Poëta:

Quicquid præcipies: esto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq́; fideles.

Vide infra cap. 13. Dixit item Iustinianus sacratissimus Imperator: *Multò vtiliùs est pauca idonea effingere: Quàm multis inutilibus homines prægrauare.* Nihil est, ô boni, nihil est. Audite medicum nostrum: *Nulla definitio ponenda: quia longis potiùs explicationibus tirones instituendi sunt, quàm breuibus & compendiosis verbis.* O Medice cura teipsum! Iudicent omnes boni: Hæccine sit vertigo capitis: hæc phrenitis: oblatrare omnibus doctis: omnibus iuuentutis informatoribus: omni rationi deniq; omnium seculorum. Si hoc audiret Cicero: quantoperè conclamaret illud, quod in Pisonem legitur, de versiculo: cedant arma togæ: nostin'? Sed quid opus? *insanabilis* sis oportet: cùm credibile non sit, ex hominis sani tale pronunciatum cerebro profluere: *Cap. 1.* *prognosticis* idcircò *relinquendus*: vt, te teste, Medici docent.

Verùm profer, si quod habes tertium? *Res quædam mediæ sunt, de quibus vtrumq; exercitium sine reprehensione verum est: quæ sine vitio nunc huc, nunc illuc reuocantur.* Demonstra? Ex Platonis *Aenigma Platonicum.* (si modò Platonis est, cuius rei fides apud te esto) ænigmate: *Vir non vir, videns non videns, luce non luce, percußit non percußit, lapide non lapide, auem non auem, ab arbore non arbore, id est, Hermaphroditus luscus diluculo leuiter percußit pumice noctuam in arbusto.* At quid opus istis affantijs? Siccine Philosophiæ principem ludere decet ænigmatis, in publica schola? vt puellæ no-

strates

strates ad colum garrire solent? Quàm verò futile tuum ænigma? Hermaphroditus istius sexus censetur esse, vt reuera est, compos, qui præualet in eo: Luscus quando dicetur cæcus? Crepusculum quando sine luce? qui percussit, siue leuiter, siue grauiter, nónne percussit? & qui percussit ab arbore: quomodo leuiter ille? pumex cur non lapis? noctua cur non auis? arbustum cur non arbos? cùm definitiones illis generum suorum competant? Veruntamen si quid eiusmodi sit: quod de pluribus diuersorum generum aliquid participârit; Ecquid in illis Aristoteles tuus ænigmaticè debet ludere, lectoresque fallere, & naso suspendere. Nónne debuisset ista mixta media vel dubia dicere? nónne, quæ forent ambigua, discernere: si fideliter voluisset docere? Sed vbi nobis eiusmodi quid ostendes? ænigmata enim tua ludicra & puerilia non curant Ramistæ.

Ecquid ambiguis in præceptis vtendum.

Quod Basilius in Eunuchos delusit ecquid verè: ecquid propriè? Reliqua quæ profers ex Theophrasto, & ex Aristotele tuo: si ita se habent: contradictionis periculo nunquam possunt eximi. Si rosa frutex est: si animalia imperfecta, gustu & phantasia prædita: si prudentia & ars opiniones sunt, &c. contraria & disparata quæuis necessariò falsa. *Posita enim vna specie remouentur omnes disparata.* Et immobile principium veritatis est: *Quodlibet est: aut*

non est. Quod ænigmatibus tuis anilibus haud infringes. Res enim vnaquæq; sic est à Philosopho consideranda, vt certi quid de ea statuatur: non quid videri possit eminus adspecta: sed quid reuera sit penitus inspecta in ipsa rei veritate: & si quodammodò mixta sit: quò magis inclinet.

Vide igitur, optime lector, quàm durum sit contra stimulum veritatis calcitrare: quod hic Medicus noster conatur in ijs defendendis: quæ nulla ratione à falsitate vel contrarietate possunt excusari: quamq; verum, quod in dissertatione mea dixi: quòd *in varias partes se mirè torqueant & retorqueant: vt elabendi rimas inuestigent*.

At interim bonus ille non videt Medicus: quòd vnum curando vulnus aliud infligat alio loco. Cùm enim vult inconstantiæ & falsitatis suum principem purgare: tribuit ipsi; quòd opiniones vulgò peruagatas sublimis Philosophus sublimibus rerum seriarum disputationibus infarciat: quòd instar puerorum, qui discere incipiunt, pleraq; primùm confusè, & indistinctiùs effutiat: donec re tandem meliùs adspecta, planiùs antè dicta repetat: quòd deniq; futilibus & ænigmaticis quarundam ambiguitatum strophis inhiet: & ita lectorem modò in adfirmantes, modò in negantes rei eiusdem sensus distrahat. Hæc omnia

mnia sequi tuis ex hoc capite dictis, lectoris beneuoli iudicium esto.

Egregia verò laus? An non honestius esset vobis, & Aristoteli magis honorificum: si diceretis: hominem fuisse: dormitare interdum potuisse: propter immensos scriptionũ diuersissimarum labores fieri potuisse: vt memoria lapsus alicubi contradixerit sibi: vel antè dicta per δευτέρας φροντίδας emendârit? Iudicent omnes boni.

Proinde ad hanc *moderationem*, quam Rameis imponere vis, vt falsa, confusa, ambigua, perplexa, & sibimet contraria tolerent, atq; exosculentur, in artibus, persuadendam *satis* illud nondum erit: quod in hoc capite Medice pharmaci dedisti: nisi fortasse, quæ consilio te præterijsse dicis, posthac meliora depromseris.

Sed cui tamen rei prolepsis illa? quòd videri non velis Aristotelis per omnia defensor: *cùm pro sorte humana forsitan errauerit.* Nimirum velis remisque contendisti, per omnes hasce tabellas, & posthac contendis: Aristoteli contradicendum non esse: & qui contradixerunt, in hos acutissima conuitiorum tela proijcis; & tamen dicere non erubescis; eum errâsse? Quid est protestatio contraria facto, si hoc non est? Errauerit sanè rariùs: attamen errauit. Si autem errauit: cur non est arguendus erroris: cur ægrè fertis illud? Ponti- *Aristoteli non esse*

F 5 fex

contradicendum. fex equidem Romanus etsi mille pertrahat in infernum animas; hoc decreto sibi bellè cauit, vt compellari non possit: *Papa quid facis.* Cur non eiusmodi vobis in regno decretum vestro cuditis; vt ab omni contradictione posthac immunis sit vester quoq; Pontifex?

Verùm, bone vir, vis illa conscientiæ tuæ, metusq́; religionis, hanc tibi fortassis inuito prolepsin extorsit. Cùm enim non ignores: Aristotelem tuum non paucis Christianæ pietatis articulis, contra saniores sapientissimi Platonis, & aliorum sententias, satis superbè reluctatum esse: hactenus ab insultu Theologorum tibi cauere voluisti. At hæc confessio tibi tuisque nulli candori vertitur. Coacti namque facitis: & nisi lumen S S. Theologiæ vobis oculorum acumen perstringeret: non faceretis, sat scio. In alijs enim omnibus ipsum vel authenticum proclamatis: vel saltem palliatis ita: nec vbi reus erroris sit arguendus.

Interim tamen Ramei non solent, vt tu cauillaris, *in Aristotelis erroribus exagitandis iuueniliter vectari*: & ipsimet Galeni modestiam putant laude dignam. Neq; Petrum Ramum (multò minùs alium quemuis) si fors asperior in animaduersionibus suis fuerit: vt vobis videtur: vel magnoperè defendunt; vel morosè sequuntur. Quamuis excusatum, mollitumque, si quid est hic næui, cupiant: quòd importuni vestrorum insultus, & insanum vestrum,

in omnibus ipsius defendendis, studium, quod eò dementiæ peruenerat, vt instar oraculorum diuinorum probarent homines effata Peripatetica, causam præbuerit animo generoso nimis arduam. Ab istoc enim tempore neminem ego vidi publicè cognitum: qui quid acerbius in Aristotelem digerit: nisi vestris priùs calumnijs, & importunis clamoribus sit lacessitus. Tu verò si nosti, qui iuueniliter ita vectetur: cur illum non apertè petis: quid vniuersum propter vnius peccatum vellicare pergis ordinem?

Fateor sanè: quòd nec amicus interdum febricitans odio sit habendus: nec formosa virgo propter tantillum næuum spernenda: Sed ô Medice teipsum cura: *nónne vides manticæ quod in tergo est?* Cur vos odio capitali, & ferocissimo P. Ramum, virum, vel ipso Simonio, gregali tuo teste, virtute & eruditione præcellentissimum, persequimini propter vnicum hunc næuum: quòd in erroribus Aristotelis refutandis ex vestra sententia fuerit immodestior? Et cur ipsius artes incendio & exsilio multatis; in quibus nullus error attingitur; ipsemet Aristoteles vix semel, idq; satis honorificè compellatur? Cur enim ipsius Logica, & quo iure pœnam luent Scholarum ipsius? Vos Aristotelis scripta non abijcitis: quòd in ijs multa sint; quę si proferret homo Christianus, in Deum blasphema forent; & vel Ethnicorum

Propter næuum leuiorem nemo cótemnendus.

corum

corum iudicio ſunt impia: Rami autem libros condemnatis ad vnum omnes: quòd in vnico illorum paulò ſit inclementiùs habitus princeps & dux veſter. Quàm iniquè comparata ſint hæc, meritò quis admiratus fuerit.

Ariſtoteles num ſolus habeat fundamenta ſapientiæ.

Vnicum adhuc in hoc capite quæro te, quid eſt: *Barbarici ingenij eſt*, inquis, *aſperè cum ijs agere, à quibus fundamenta ſapientiæ didiceris.* Ramum procul dubio vellicas: qui ſapientiæ præcepta didicerit ab Ariſtotele. Ecquid igitur omnes in orbe, quotquot ſapientiæ laude celebres ſunt, ab Ariſtotele ſapientiam ſunt edocti? Nimirum huc contenditis: vt Ariſtoteles, quòd præter alios in Philoſophiæ dogmatis colligendis eximiam nauârit operam, ſit ſolus fons & regula Philoſophiæ totius: à cuius dogmate ſi quid pugnet, id Philoſophicum non ſit. *Ridicula profectò, nec minùs falſa perſuaſio.* Quæ igitur ante Ariſtotelem fuere ſecula: nullos habuere ſapientia excultos? Et quid: ſi Ariſtotelis libri ſub terra reconditi, tineis eroſi, poſt extracti, & deprauatè ab Apellione deſcripti, longè deprauatiùs autem à Tyrannione Romano, prout refert Strabo, nobilis hiſtoricus; quid, inquã, ſi planè computruiſſent: ecquid etiam principia ſapientiæ euanuiſſent; vt ampliùs philoſophari non potuiſſemus? *Humanæ menti*, ne ſis neſcius, *non Ariſtotelis* libris inſcripta ſunt ſapientiæ principia: *Ratio vera Philoſophiæ mater eſt*; ex qua non Ariſtoteles tantùm, ſed

Nic. Taurel. in pr. Metaphyſ.

ſed omnes alij ſapientiæ præcepta deduxerunt. Principia igitur ipſi Deo referimus accepta rationi ingenerata: theoremata verò principijs ſuperſtructa quibuſuis: Ariſtoteli, Platoni, Ciceroni, & omnibus ſapientiæ profeſſoribus. Quid frontem caperas? adſpice tuum collegam clariſs. Medicum, & acutiſſimi iudicij virum Dn. Taurellum: qui primus omnium me docuit in initio triumphi ſui Philoſophiæ: non tàm Ariſtotelis auctoritati, quàm rationi fidendum eſſe: et *quæcunq; ſcripſerunt, quotquot vnquam exſtiterunt Philoſophi, ſi non ſint veritati conſentanea; Philoſophica nequaquam: ſed* SOPHISTICA *potiùs dicenda.* Vide Scherbi: quàm propè congruant hæc cum ſcabie Ramea. Profectò verendum: ne quid in huius etiam cura tibi curæ ponendnm reſtet.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT VI.
De propoſitionibus καθ' αὑτὸ.

ARiſtoteles primùm multiplicem nominis poteſtatem propoſuit: vt deinde quæ vſui eſſent, ſeligeret. Adducit autem quattuor ſignificationes, non ſolùm eas conſiderans, quæ ſpectantur in Enunciatione, ſed omnes omninò. Prima eſt, quando naturali prædicatione 1.

prædi-

prædicatum subiecti est constituens, siue, quando est pars definitionis subiecti. Hæc talia enim attributa, per se & essentialiter insunt: immò sunt ipsummet subiectum. Identica enim propositio hîc locum habet, non quidem cruda illa & insipida, Cicero est Cicero: quæ ab Auerröe dicitur esse in fine abominationis, quòd mens cognitionis appetens, eâ nihil discat: sed hæc altera, in qua prædicatum à subiecto re non differt, sed modo tantùm, vti manus in pugnum contracta & dilatata. Neq; Scotus hîc quicquā peccauit, si modò definitio & definitum sunt numero idem, si deniq; verum est, quod illi ipsi, qui Scotum errâsse putant, alibi scripserunt, Genus ab analytico non quæri vt diuersum, sed vt idem cum speciē. Vt ne longiùs abeamus: Propositio dialectica, est interrogatio ἔνδοξος.
2. *Scientia est cognitio. Fames est appetitus. Altera*, quando subiectū est pars definitionis prædicati, *itidem in naturali prædicatione: hoc fit*, cùm propria πάθη de iis efferuntur, in quibus insunt. *Propria autem πάθη vocamus cum Alex. tùm δυνάμεις, tùm ἐνεργείας, tùm διαθέσεις. Primi modi prædicata dicere solemus in Physicis, essentialiter inesse: hæc autē secundi modi, naturaliter: quamuis non vbiq;*

maxi-

maximè in Mathematicis, iſta verborũ vſurpatio æquè reſpondeat. Itaq; primo modo opponitur, τὸ *per accidens, ſiue Non eſſentialiter: huic ſecundo, itidem per accidens, ſiue, Non naturaliter. Exempla ſint: Corpus ſublunare in æternum poteſt generari & interire. Corpus ſublunare in æternum generatur & interit. Corpus cæleſte poteſt perpetuò moueri. Corpus cæleſte perpetuò mouetur. Homo inter omnia animalia plurimum habet cerebri. Pulmo eſt viſcus laxum. Homini datæ ſunt manus. Quorum omnium in Philoſophia cauſæ afferuntur.*
Tertiò dicuntur ea per ſeſe eſſe, *quæ ipſa ſuis viribus conſtare poſſunt, & alio nomine appellantur* οὐσίαι, *plebeia & nota ſignificatione: Cui propriè contrarium opponitur, non* τὸ *per accidens, ſed* τὸ *per aliud. Accidentia enim quæ hîc altrinſecus reſpondent, ſunt quidem per aliud, ſed non per accidens: cùm apertè in prima philoſophia Ariſtoteles docuerit, Entia per ſe, eſſe diſtributa* εἰς σχήματα τῶν κατηγοριῶν*: entia verò per accidens, in ijs locũ non habent.* 3.
Quarta ſignificatio eſt, cùm apud Græcos, τὸ καθ' αὑτὸ *vſurpatur pro* δι' αὑτό*: id eſt, quæ vi cauſæ alicuius, aut quæ propter aliquid, ſunt facta, dicũtur per ſe facta. Nam ſi non illius cauſæ vi, & per eam,* 4.

aut,

aut, si non propter illum finem: vulgò potiùs dicere solemus, ea casu accidere: siue, duo illa, casu συνυπάρχειν. *Hic modus spectatur in quadam illatione effectus ex causa: quamuis possit etiam reuocari, ad vnicam propositionem, quæ in scholis vocatur propositio causalis. Alex. quidem quoties vtitur hac significatione vocabuli, per se, ferè coniungere solet hæc duo, per se, &* προηγουμένως: *Quia, cùm duæ sint summæ causæ,* ὅθεν ἡ κίνησις; *Natura scilicet, & mens humana: In actionibus mentis, quod consultò fit, id per se &* προηγουμένως *dicitur factum, non casu: In rebus naturalibus ferè eodem modo. Quamuis enim natura non consultet de medijs ad finem, vt mens: propter finem tamen agit, vt docet Aristoteles, & propterea, quæ per se ab ea nascuntur, etiam* προηγουμένως *dicuntur nasci. Exempla. Vbi natura est, ibi est ordo. vel propositione vnica: Natura est ordo. Motus circularis corporum cœlestium, est imitatio primi actus. Motus corporum cœlestium, est vita sublunarium. Immobilitas cordis est mors. Naturalis philosophia est discussio dubitationum naturaliter de rerum natura subrepentium. Biliosi sunt acuti. Melancholici sunt iudicio præditi. Auditorum animos permouere,*

mouere, est persuadere. Benè distinguere, est benè docere. Rectè aciem instruere, est vincere. Solemus etiam non rarò inuertere, & causam effectui attribuere: vt, Dolor est solutio continui. Fames est sensus suctionis. Dubitatio est syllogismus Dialecticus ἀντιφάσεως. Scientia est syllogismus apodicticus. Hæ propositiones, quia in vulgus insolentiores sunt, sæpè radunt aures imperitorum, qui faciliùs admittunt, si pro Est, ponatur in prioribus quidem illis, Efficit, aut Est causa, Fit propter hoc, aut quid simile: in posterioribus verò, Nascitur, &c. Atque hinc fit, vt in philosophia cùm tales rerum causæ, quales hac quarta significatione intelliguntur, solent afferri, eæ non reuocentur ad propositionum & syllogismorum præscriptam illam formulam. Nam in maiore propositione πάθος minùs vsitata loquendi forma prædicaretur de sua causa: sed seorsim potiùs causæ τῶν παθῶν inuestigantur. Etianè formulæ illæ syllogisticæ sunt propter tirones: tanquam compedes quædam, quibus rudes equos docemus certum ingressum: ab edoctis iam amouemus. Quemadmodum etiam, qui natare iam sciunt, non vtuntur ampliùs cortice. *Qui*

Syllogismi laus.

autem limitatorum ſubiectorũ attributa, huius quarti modi eſſe volunt, vix verbum apud Ariſtotelem habent, quo adiuuentur, & exemplum vltimum ſecundi modi, de numero æquilatero, ac altera parte longiori, perſpicuè eos refellit. Ariſtoteles vt nomen ἀναλυτικῆς, ψευδογραφικῆς, *plurimorumq́ aliorum à Geometris mutuatus eſt, ex quo* φιλογεωμέτρης *dictus fuit: ita etiã in ſignificationibus* τοῦ καθ' αὑτὸ, *eas probauit, quæ in Geometricis demonſtrationibus vſurpantur, primam & ſecundam. Tertia enim in integra propoſitione locum non habet. Quarta eſt quidem in phyſicis, & in practica philoſophia, & in artibus frequentiſſima: in Geometricis tamen, non item. Vbi enim fit* ἀφαίρεσις *materiæ, ibi neq; per cauſam vnde motus, neq;* οὗ ἕνεκα *quicquã doceri poteſt. Quo fit, vt Geometræ ad cõcluſiones, quæ ſunt in ſecundo modo, vtantur primùm quidem axiomatibus: deinde definitionibus, id eſt, primo modo. Vſitatiſſimus tamen eſt, vt dixi, quartus, in alijs philoſophiæ partibus, vt cùm cauſæ efficientes redduntur perpetui ortus et occaſus rerum, ſalſedinis maris, motus terræ, eclipſis lunæ, putredinis, thermarum: Aut ex fine ſiue vſu docetur, cur partes animalium hac vel illa conforma-*

formatione & diathesi sint prædita. Ita etiam in Philosophia practica, & in artibus, in quibus à fine inferuntur, quæ ad finem faciunt: atq; ea per se arti necessaria iudicantur, quæ per se & προηγουμένως vim habent artis illius finem efficiendi.

RESPONSIO AD CAPVT VI.

POST infelicem propositionis κατὰ παντὸς curam, progreditur Medicus noster ad vicinam καθ' αὑτὸ: cuius in hoc capite descriptionem per modos quatuor explanare cupit. Quo quidem facilè potuisset labore supersedere: cùm Ramistæ longè meliùs ex Dn. Philippi lib. Dialect. 3. modos dicendi per se discere potuerint. Siquidem non alia dicit: præterquam, quòd, quæ clarè satis ille & perspicuè nos docuerat: hic definitionibus obscuris implicat: exemplis obscurioribus prægrauat: distinctionum deniq; subtilitatibus (quales sunt: *accidens est vel non naturaliter, vel non essentialiter: accidens aliud per accidens, aliud per aliud*) planè obfuscat. Quippe in singulis modis describendis primùm proponit Aristotelicas, sed ita perplexas: vt eas postea Philippicis explanare cogatur: dummodò sic res ipsa longior fiat, & commentatio cùm prolixior, tùm perplexior.

Modus 1. dicendi per se. Primi modi prædicata dicit esse: *Subiectum ipsummet: quare non differant à subiecto, sed tantummodò, vt manus dilatata differat à contracta.* Ramei non queunt istoc capere: ignoscas quæso Peripatetice. Si de tota definitione, vel parte simul, diceres, vt Dn. Philip. aliquid darent: iam verò cùm de parte, & quidem de genere tantùm, profers exempla, nihil possunt admittere. Exempla sunt: Scientia est cognitio: fames est appetitus. Si vera tua definitio: sequitur: omnem cognitionem esse scientiam, omnem appetitum famem. Prædicatum enim dicis esse *ipsummet subiectum*: Posito igitur prædicato: ponitur subiectum. At prædicata illa sunt genera: genere posito ponitur ne certa species? Nónne latius est genus sua specie: nónne genus est causa specierum: & tamen re ipsa non differt à specie? Hoc omninò sequitur ex tuis verbis: iudicent omnes: qui iudicare possunt: & videant errorem valdè palpabilem. Tertium exemplum cum tenebroso Scoti commento dimitto: cur nō intelligam: quando propositio sit interrogatio. Cicero fuit Consul Romanus: procul dubiò est propositio Dialectica: est etiam ἔνδοξος, suo respectu intellecta: monstret aliquis interrogationem, vel subtilitatem Peripateticam sub ambiguitate vocis, *interrogatio*, *delitescentem*.

Secundus. Secundus modus tibi definitur; *cùm subiectum est pars prædicati.* Exempla: *Pulmo est viscus laxum.*

laxum. Quomodo pulmo hîc eſt prædicati pars, cùm definitionem viſceris laxi non ingrediatur? Viſcus laxum eſt: cuius partes ſunt raræ, ſpongioſæ, molles, aëreæ. Hæc, puto, vera eſt definitio laxi viſceris ex Dn. Phil. lib. de anim. Vbi igitur pulmo pars altera definitionis? *Homo habet plurimum cerebri*. Plurimum cerebri habere; eſt maxima inter animalia omnia cerebri copiam tenere. Vbi homo, definitionis pars? Si dixeris: quòd ſolius hominis ſit habere maximum cerebrum: ſolius pulmonis, eſſe viſcus laxum: Vnde, cùm propria hæc ſint πάθη, quæ in alijs non habeant locum, ſequatur; vt ſubiecta ſint partes definitioni: quia pulmone oculis ſubiecto, pateat definitio viſceris. Sic homine poſito: ponatur etiam maximũ inter animalia cerebrũ: Cur igitur ſubiecta non ſunt definitio propriæ paſſionis tota? Maximũ cerebrum quod eſt? Solius hominis. Viſcus laxum quod eſt? Pulmo. Pulmo itaq; eſt tota definitio viſceris laxi: quod alibi non eſt: niſi in pulmone. Vnde regula veterum: *Omnis intuitiua notitia eſt definitio*. Declara igitur tu nobis ex ſubtilitatibus veſtris, quomodo, & vbi pars ſolummodo definitionis hîc ſit. Sed quid proficitis huiuſmodi ineptijs? Nónne rectiùs cum Dn. Philippo locutus fuiſſes: *Cùm propria paſſio de ſubſtantia dicitur*.

Tertij modi quis eſt vſus? Quodnam contrarium? *Tertius.*

trarium? quod discrimen inter: *Per accidens, & per aliud*? nimirum tumet forsitan ignoras: quòd exempla proferre nequeas. Quod dicitur inesse alicui: id inest, vel per se, vel per accidens. Negas? non audes; nisi negaueris illam, quam *summus Aristoteles trutinando cacumina rerum*, diuisionem protulit: vt omnia vel ex substantia insint: vel ex accidente. Quid igitur est illud *per aliud?* Et cur non dicitur inesse per accidens: quod inest *per aliud*, quàm per se? anne, quod per accidens inest, id non per se: sed per aliud inest? Respondes: *apertè Aristoteles in prima Philosophia sic docuit.* Vides, lector optime: αὐτὸς ἔφα? At idem docuit apertè, mundum esse æternum: tune credes idcircò? Si auderes præ Theologis: credo: & indicat aliquatenus exemplum hic tuum: *Corpus sublunare in æternum generatur, & interit.*

Quartus. Quarti modi descriptio rursus præ Philippea non leuiter obscura: exempla verò satis intricata: partim aliena, partim etiam falsa. *Immobilitas cordis est mors:* inquis. Quid hoc est? immobilitas est causa: mouebit igitur, quod est immobile? causa enim mouet omnis aliquid. Immò contrarium est verum: mors est causa: quia immobilitatem inducit, calore vitali absumto. Et sic immobilitas est indicium mortis instantis: de qua medici soletis ex pulsu iudicare: nimirum, vt ex sublato effecto coniecturam faciatis, de causa, vita scilicet,

per

per mortem exſtincta. Sic Bilis eſt tibi cauſa acuminis: Melancholia iudicij: permotio auditorum perſuaſionis: aciei inſtructio victoriæ. Putasne? Ergò omnes bilioſi acuti: Melancholici iudicio præditi: Ergò Cicero cùm permouit animos auditorum in Miloniana: etiam continuò perſuaſit: Ergò Pompeius benè inſtruens aciem, vicit. Sequiturne? affirmare non potes. Hoc autem ſequi debebat omninò: niſi Dn. Philip. falſitatis arguere licebit: qui de proprijs cauſis, de proprijs item effectibus hîc loquitur: à quibus certa conſequentia. Niſi item tuum Ariſtotelem: qui hanc notam καθ' αὑτὸ tribuit Apodicticæ propoſitioni. Vbi tuum nunc eſt acumen? Sed quid ais? Syllogiſmus Dialecticus eſt cauſa dubitationis? Quid igitur D. Phil. didicit: quidue nos docuit: quòd ſyllogiſmus ſit cauſa neceſſariæ veritatis in concluſione, propter antecedens benè firmiterq; poſitũ? Et quid tibi tandem vis Medice, cum tuis hiſce paradoxis, ipſa artiũ principia ſubuertentibus? Hucuſq; ſyllogiſmus regula certitudinis eſt ab omnibus habitus, ab ipſomet Ariſtotele: nunc eſt cauſa dubitationis, hoc eſt, incertitudinis, propter tirones tantùm repertus: *inſtar corticis & compedum, quibus certum iam edocti ingreſſum, & natare ſcientes non ampliùs vtuntur.* Ex quibus breuiter delibatis optime lector vides: quàm ſubtilis & exilis ſit horum, qui ſe Peripatcti-

Ecquid ſyllogiſmi effectum ſit dubitatio.

Subtilitas Peripatetica.

cos gloriantur, doctrina: difficultatis sané plurimum præbet: vtilitatis parum. Dn. Philip. hæc tribus quatuorúe verbis accuratè satis, & perspicuè complexus erat. Huic penè sex paginæ sunt completæ: vt acumen Aristotelicum ostentaret: quibus reuera nihil aliud agit: quàm, vt breuia Dn. Philippi præcepta longis explicationibus inuoluat: & ipsius perspicuum sermonē, terminis Aristotelis Græcis, & vanissimis distinctionum subtilitatibus, tùm etiam lubicris obtenebret exemplis. Hæc ars est illa: qua se nobis ostentant: qua miseram iuuentutem cum temporis & rerum suarum dispendio, cæca exspectatione summæ doctrinæ, suspensam faciunt.

Quid de modis hisce per se statuendū.

Proinde quod attinet ad hosce modos; etsi non carent vtilitate sua, si breuiter & perspicuè à Dn. Philippo traditi perspiciantur: longè tamen vtiliùs, & expeditiùs apud Rameos, ex ipsis argumentorum naturis probè cognitis, illi sponte sua profluunt: vt peculiari doctrina non indigeant. Qui enim nouit argumentorum inter se relationes & consequentiarum regulas: is oblata propositione videt: ex quibus argumentis sit disposita. His deprehensis, videt insuper; quæ sit arguendi inter hæc vnius ad alterum adfectio. Ex quo iudicatur facilè; quid per se, quid per accidens dicatur de alia. Deinde si rem penitiùs adspiciamus: hîc illud demum quæritur: ecquid prædi-

prædicatum de ſubiecto verè: vel falsò prædicetur. Per ſe enim prædicari, eſt verè, vt res eſt ipſa, de aliquo dici; per accidens verò, eſt falsò, vel contingenter. Qua ratione non hîc quatuor tantùm modi ſunt, ſed tot conſtituendi: quot argumentorum genera, quibus aliquid de alia re poteſt argui.

Veruntamen iſtis omnibus iam non attentis: ecquid hi tamen modi fuerint perfecti, ſi ſeparatim tradendi? Nullo modo. Corpus hominis eſt mortale. Meſſias noſter natus eſt imperante Auguſto. Rodolphus Imperator eſt in Bohemia: Populus Romanus diuidebatur in Senatores, Patricios, Plebeios. Hinc adiunctum dicitur de ſubiecto: idq; per ſe: Ex ſua enim natura tale eſt corpus: vt morti ſit obnoxium. At hîc propria paſſio non dicitur de ſubiecto: cùm mortale ſit adiunctum omnibus omninò rebus commune. Dicitur etiam tempus de re in tempore facta. At tempus illud propria paſſio non eſt Meſſiæ: cùm ſint infiniti ſub imperio Auguſti, & multi proculdubio in orbe Romano, eo ipſo tempore, progeniti. Attamen hoc tempus per ſe de natiuitate Meſſiæ prædicatur. Dicitur & locus de re locata: idq; per ſe. Attamen Bohemia nec eſt cauſa, nec paſſio, nec definitio Rodolphi. Dicuntur deniq; partes de toto: at diuiſio non eſt definitio, neque paſſio, &c. Quantò meliùs igitur feceris: ſi ſingulis argu-

Ecquid perfecti ſint iſti quattuor modi per ſe dicendi.

mentis ſuum dicendi de re alia modum reliqueris; & de ſingulis dictis, ex ſuis locis, vndè ſunt argumenta depromta, iudicaueris. Sic enim hiſce Medici noſtri ſubtilitatibus carere potueris: & minori negotio, immò aliud agens non hos tantùm, ſed omnes dicendi modos per ſe intellexeris. Attamen illos etiam, ſi conſuetudinis in ſchola cauſa libuerit adhibere: longè meliùs ex perſpicuè breuiterque præceptis Dn. Philippi: quàm ex prælongis & perplexis his argutiolis, decerpſeris.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT VII.

Oſtenduntur peccata quædam nouæ Philoſophiæ, contra modum ſecundum per ſe.

His ὡς τύπῳ cognitis, facilè iam licet cernere, nouæ philoſophiæ nouas & inanes ſpeculatiunculas. Si enim ea homogenea cuique arti ſunt, vt ipſimet profitentur, quæ ei per ſe ſunt, cur motum, & tempus, & locum phyſica ademerunt, & filiolæ ſuæ belliſsimæ adiudicârunt? Quo enim iure, & qua tandem lege? An non motus corpori naturali (quod phyſices eſt γένος ὑποκείμενον) per ſe ineſt in ſecundo modo? De κινήσει loquor, (non ἐνεργείᾳ) vniuerſè ac-

sè accepta, quæ dicitur esse quasi genus φορᾶς, alterationis & augmentationis, & in libris communib. περὶ κινήσεως, explicata est: ne fortaßis tuo more, in verborum captatione sapientiam statuas. Quòd si motus is pertinet ad logicum, oportet igitur idem quoq; omnes eius species explicet: (sophisticeris quantum velis.) Id enim officium scientiarũ est: neq; aliud vultis, aurea vestra definitione artis: Ars est rerum homogenearum, per generalißima, subalterna, specialißima, comprehensio, & ordinatio. Certè eiusdem est agere de morbo, & de speciebus, ac specierum speciebus. De febribus & speciebus febrium. De virtute & eius speciebus, fortitudine, clementia, liberalitate, & alijs. De contractu & speciebus contractuum nominatis, & innominatis. Aget igitur nouus noster logicus, primùm quidem de motu vniuersè: postea de motu locali, id est, de φορᾶ & περιφορᾶ. Aget item de motu animalium, de natatu, volatu, reptione, & ingressu. Aget deniq; etiam de alteratione, primùm γενικῶς: postea descendet ad species, id est, ad coctionem, elixationem, maturationem, assationem. Aget præterea de putrefactione, omniq; genere cruditatum, quæ refrigeratione exoriuntur.

At ve-

At verò ô omnium hominum beatiſsime logice, qui agit, vt tuo more loquar, de proprio adiuncto, agit etiam de proprio eius ſubiecto. Sunt enim homogenea. Cuius igitur propriè & per ſe eſt motus vniuersè acceptus, eius etiam eſt corpus mobile vniuersè acceptũ. At tale corpus mobile, & corpus naturale, re non differunt: ſiquidem natura eſt principiũ motus, eius in quo ineſt. Ages igitur de corpore naturali ita conſiderato. Ages etiam eodẽ iure, de corporibus cæleſtibus, quibus primò & per ſe ineſt περιφορὰ: de quatuor καλυμένοις στοιχείοις, quib. primò tribuitur φορὰ: De animalib. id eſt, de volatilibus, repentibus, natatilibus, & ingredientibus. At qui de animalibus tractare vult, is quoq; materiam eorum explicat & formam, id eſt, oportet agat de partibus animalium, & de anima. At rurſus qui hoc ſibi ſumit, oportet etiam, quæ eis per ſe in ſecundo modo inſunt, perſequatur, id eſt, pertractet illa, quæ in paruis naturalibus (vt hodie appellant) continentur. Et quid verbis opus eſt? tota Philoſophia naturalis per hanc Philoſophiam logici eſt: Hoc igĩtur præſidio hodie pulcrè proceſsiſti, ô Logice: ſi quidem totum huius Philoſophiæ regnum ampliſsimum, ſine vlla dubitatione tibi debetur.

Quod

Quod si scirem, te in secundis tuis rebus, me
quoq; respecturum, efficerem eodem iure, vt
prima quoq; Philosophia tota tua esset. Quid nì
enim? Cuius est agere de vno, modisq; omni-
bus vnitatis, & identitatis; (recordare verba
tua Chrysippe) eius quoq; est agere de ente: cu-
ius vnum est quasi πάθος: (*Ens enim in am-*
plissima significatione propriè nō habet πάθος:
conuertuntur tamen inter se Ens & vnum)
Nimirum igitur scientia de ente, eiusq; omni-
bus diuisionibus erit quoq; tua. At qui agit
de ente, agit de primo ente, siue de Deo: vt fie-
ri debet in vocabulis ab vno, auctore ipso hoste
tuo Aristotele. Ergò ages quoq; de Deo: Ergò
Theologia quoq; tota tua est, Iam quia axio-
mata illa: De quouis ente, vera est affirmatio
aut negatio: Non contingit idem simul affir-
mare & negare, in ente tuo insunt, etiam hæc
axiomata propria tua erunt, id est, habitus is,
qui νοῦς *dicitur, ad te pertinebit. Et quid mul-*
tis moror? Habitus, qui σοφία ἁπλῶς *vocatur,*
compositus ex intellectu & scientia, tibi quoq;
addicendus est: si modò Oceanus causarum, in
Philosophiam Aristotelis, vt tu ais, effusus, tui
quoq; regni est. Ecquid beo te? etiam amplius
quid quæris? certè volebam eodem iure te

quoq;

quoq; introducere in possessionẽ mathematicarum disciplinarum. Sed credo tibi, hoc quidem tempore satis esse: fortaßis ipsemet iam metuis, ne tanta imperij magnitudo, ruinã rebus tuis minetur. Nam videor iam nunc audire vocem quorundam Aristotelicorũ, qui te iubent redire in officinam, ad fabrilia inquam tua. Aiunt enim, te fabrum tantùm esse instrumentorum cognoscendi: neq; debere cutem nimiũ distendere, ne fortaßis ipse tibi rumpas. Nam in Apodicticis quidẽ, si ea tibi retinuisses, summa tua dignitas elucere potuisset. At in his ipsis nihil aliud traditur, quàm qua regula seu perpendiculo debeamus vti in extruendis scientijs: quæ nihil aliud sunt, quàm collectio quædã multarum demonstrationum de eodem genere subiecto: Non tamẽ propterea Apodicticus, summus Architectus est, ad quem omnia referuntur: cùm alia sit communitas regulæ communis, alia primi Architecti, omnibus imperantis. Ad officinã igitur & regulam, mi Logice. Tu verò, lector beneuole, in tanta rerum omniũ perturbatione, & scientiarum, vel metamorphosi vel confusione, quæso quid cogitas? Ridésne, an stomacharis? Ego quidem, vt ingenuè tibi dicam, neq; rideo, neq; stomachor: sed miseret me, primùm

primùm imperitæ adolescentiæ, quæ tàm splendidas, & nugaces nugas auidè conbibit, atque inde quasi circeo poculo inmutata, omnium rerum cognitionem suauiter somniat, eos despiciens, quos debebat suspicere. Deinde ex animo pudet patriæ nostræ communis, quæ cùm Philosophiæ laude Hispanis & Italis cogatur cedere, φιλοπονία verò facilè eos superet, ob idq́; cum illis paria facere posse videretur: in ijs tamen laborem consumit, quæ apud beneuolos commiserationem, apud maleuolos non nisi insignem irrisionem, afferre possunt. De peccatis in quartum modum per se, postea.

RESPONSIO AD CAPVT VII.

MAGNO spiritu Medicus noster ipsam morbi molē planè iam destruere molitur, illo, quòd capite præcedente præbuit, pharmaco confisus: & ampliùs probè instructus miris sycophantijs; duris calumnijs: scurrilibus sarcasmis: Philosopho Peripatetico perquàm dignis. Causa hæc est: motus, locus, & tempus, ab Aristotele tractata sunt in Physicis. Ramus ea tractari voluit in Logicis: quòd notiones essent, & argumenta; quibus entia, & non entia arguerentur omnia. Aduersus

uersus hoc Rami scitum profert suas Peripateticus noster machinas. Videamus:

Si homogenea cuiq; sunt arti, quæ ei per se sunt: motus, locus & tempus in Physicis debent explicari.

Sed prius est: Ergò etiam posterius.

In adsumtione & conclusione ponendâ compendio libenter vtor: quia vidi iam antè, & postea patebit: quòd syllogismos, tanquam puerilia crepundia, ferre non possis. Ignosce autem mihi, quòd vnum atq; alterum obtrudo: facit hoc crassum, quod nobis esse dicitis, ingenium: quo vestrarum subtilitatum pelagus *tranatare* sæpè nequimus: nisi *cortice* nobis hoc vti liceat.

Cap. præced. & infra cap. 17.

De adsumtione, quamuis vestro more, sit obscura satis, certare iam nolo. Propositionis connexionem probari cupio. Sed hîc quàm iniquiter agis: tres in aciem milites produxeras: duos, *locum & tempus* in ipso limine deseris. Qua de causa quæso? Motui tamen admodum laboranti suppetias mittis. *Motus corpori naturali per se inest: tanquam propria passio suo subiecto: Ergò in Physicis, vbi corpus naturale subiectum est, motus etiam disponendus.* Ecquid corpus naturale, verum Physices sit subiectum; disputare iam nolo: quamuis ansa disputandi permagna foret ex eo: quod omnes ferè socij tui, de Deo, angelis, & anima hominis inprimis, in Physicis agunt. Ecquid autem motus

Motus ecquid ad Physicam spectet.

sit

ſit propria paſſio, vel proprium adiunctum: dubitationis cauſa valdè magna.

Si tu propriam paſſionem vocas illud: quod nos adiunctum proprium: vocare autem videris ita: craſſiſſimus error eſt: id adiunctum dicere: quod eſt vi cauſæ productum. Motus enim eſt *actio agentis, qua acquirit aliquem terminum*, vt Dn. Philip. loquitur in Logicis; hoc eſt: qua elaborat, vt aliquid efficiat. Hæc perſpicua & ſimplex eſt motus definitio: Ariſtotelicam enim tuam (*Motus eſt actus eius, quod potentia ſeu poteſtate eſt, quando iam actu agit, aut ipſum, aut aliud, quatenus mobile eſt*) quolibet ſphyngis ænigmate ſpinoſiorem, tibi lubens relinquo. Apparet illa ex omnibus à vobis confictis ſpeciebus: Generatio enim eſt agitatio, vt aliquid fiat, quod non erat. Corruptio vt aliquid deſinat eſſe, quod erat. Augmentatio vt maior quantitas adquiratur. Deminutio vt ex maiore quantitate minor fiat. Alteratio, qua qualitas vna in alteram transformatur. Locomotiua denique, qua ſubinde aliud ſpacium adquiritur. Iudicent hîc omnes: ecquid motus aliud quidpiam ſit: quàm actio cauſæ efficientis, ad opus quoddam producendum. Actio autem illa vnde eſt? vi & potentia cauſæ: cauſa agit: cauſæ vi actio exiſtit; qua ſubl. a, non adeſt amplius actio. Quid igitur motus eſt aliud: quàm effectum, vel actio cauſæ vi exiſtens? Negas? aperi ocu-

Motus eſt effectum Logicum: non propria paſſio.

ri oculos. Quomodo tuus Aristoteles efficientem causam definit 3. cap. 1. lib. Metap. & 3. cap. lib. 2. Phys. *Efficiens est à quo primo fit motus*, vt Dn. Phil. ex Aristotele vertit. Si igitur efficiens est id; à quo est motus: necessariò sequitur: motum esse id; quod est ab efficiente: & sic per consequens, motus est effectum. Vbi autē causa traditur; ibi necessariò traditur id; quod causæ vi existit: motus ipse scil. & res ex motu producta. Sunt enim correlatiua; quorum vnum pendet ex alterius essentia. Hunc bolum priùs degluti Medice.

Quòd si verò passionem confusè pro tuo, & tui Ducis more capis; vt non id tantùm denotet: quod præter essentiam rei adiungitur: sed quod vi causæ existit: qualis est motus, actus nimirum eius, qui iam actu agit, vt vos definitis: certè nimis magna hæc est confusio: & ita motus non inest per se rebus naturalibus *in secundo*: sed *in quarto modo*. Effectum enim est rerum naturalium: *efficere siue mouere, & effici siue moueri*. Et hîc quidem proximus rei cuiuslibet effectus; vt, si sit; moueat, & moueatur necessariò: si nòn moueat, nec moueatur: esse desinat, & mortua censeatur.

Verùntamen sit in modo, quocunq; velit, motus: ecquid rerum naturalium proprius? *De motu* loquimur & nos *vniuersè accepto*; qui quouis modo consistat in entelechia, & agitatione agentis actu. Hîc desine paulisper πειρατεῖν:

Ecquid motus rerum Physicarũ proprius.

πατεῖν:

πατεῖν: vt rem videamus artiùs. Si obtinui superius illud, quod in æternum negare non potueris: *motum esse causæ efficientis actionem: actionem verò esse aliquid: quod vi causa agentis exsistit, & sic effectum causæ*: necessariò sequitur: cùm causa sit argumentum generale Logicum: etiam motum tanquam effectū generalem esse, & argumentum Logicum constituere. Quæcunq; enim res in causam incidit: eam in motum quoque concidere necesse est. Testatur hoc tuus Arist. lib. 3. Phys. cap. 3. & cap. 8. *Omnes artes, & omnes institutiones vtuntur motu.* Sic in Grammaticis adiectiuum masculinum de se mouet fęmininum, & neutrum: & in genere nomen omne, quod casus, & tempora de se deriuat, mouere dicitur. Sic argumentum in Logica inuenitur, disponitur, iudicatur. Sic ipsemet Aristoteles Deum vocat *causam mouentem*: & inde eius æternitatem concludit, quòd perpetuò mouere possit: lib. 8. cap. 10. Phys. Sic Apostolus; *in Deo, hoc est, per Deum, nos viuere, moueri, & esse.* Sic animam *motricem corporis* adpellat Aristotelis idem. Sic loci mutatio competit artibus: vt aliquid antecedat: aliquid sequatur, & alterum in alterius locum transeat. Sic Deus in loco dicitur esse: sic angelus è cœlo descendit in certas orbis vrbes. Sic animæ sedes à Theologis plerunq; in corde: à medicis in cerebro statuitur. Sic Mathematicæ res loci mutationem habent: vtut ἐξ

ἀφαιρέσεως intellectæ. Sic virtutum vitiorumque sui sunt motus: per quos homines bonas vel malas actiones expediunt.

Sed inquis: isti motus sunt à Physicis longè diuersi. Fateor, & esse debent diuersi, quia sunt in diuersis rebus. Sicut autem causæ aliæ sunt, & alia ratione agunt in Ethicis: Mathematicis, Diuinis: &c. quàm in Physicis: attamen omnes causæ sunt pari iure in Logica: Sic etiam licèt alia sint motuum genera in Physicis: quàm in Ethicis; pari tamen iure sunt omnia motus: quòd agitationem habeant à causis exsistentẽ. Motus igitur generalis est in Logica, sicut causa: Motuum verò exempla singulis in rebus obuia: quæ singulæ, suos habent motus, à suis causis diuersitatem & varietatem sibi vendicantes.

In summa: vbi causa est efficiens siue mouens: ibi est effectum siue motus. At efficiens, & motus energia, est in omnibus omninò rebus: vt luce meridiana clariùs hoc elucescit: nisi quis mortuas illas esse dicere voluerit. Quæ igitur insania est motum reliquis omnibus adimere rebus: & solis vindicare naturalibus corporibus? præsertim cùm longè fuerit Aristoteles ipsemet hac in causa prudentior: qui motum motusq; species æquè in organo Logico: atq; in Physicis recenset.

Sed pergis: *Si motus pertinet ad Logicum, oportet itaq;, idem omnes quoq; species explicet.* Oporteret

teret proculdubio: si species illæ motus essent veræ, & inter se oppositæ: ac non potiùs à vobis inaniter effictæ. Generationem enim, & corruptionem, item lationem, si exceperis: quid remanebit nobis? Augmentatio, quid est aliud quám generatio maioris quantitatis: Deminutio, quàm corruptio quantitatis maioris ad minorem: Alteratio, quàm generatio vnius qualitatis ex alia? Quid inter se differunt hæ species? in omnibus est generatio vel corruptio. In eo tantummodò differentia: quòd in alijs fit generatio vel corruptio substantiæ: in alijs quantitatis: in alijs qualitatis. At qualis hæc diuisio: adiunctum (passio enim adiunctum est, in se recipiens actionem) pro subiectorum diuersitate distribuere? Tot igitur erunt colorum species, quot corpora: quæ colorem hunc admittunt. Attamen hoc si stare posset: cur non etiam tempori motus adsignata species? annus enim, messis, dies, hora, momentum vnum post aliud dicitur decurrere: & nos egressi vno anno, aliud ingredimur. Cur non spiritibus suus etiam motus? Si non in Physicis id fieri potuit: saltem debuisset hoc in Logicis fieri ab Aristotele: vbi summa rerum omnium entia recenset.

De diuisione motus vaga & imperfecta.

Quia igitur genuinæ non sunt illæ species: neq; dari, pro rerũ varietate possunt, exactæ: Ramus etiam non debuit illas exponere: præter generales duas motuum differentias; quæ

reliquas ſuo complexu continent: generationis, & corruptionis ſcilicet: quas & in diſtributione cauſarum procreantium, & conſeruantium: quibus corrumpens, & labefactans opponuntur; & in ipſo effecto commodè deſcripſit: Motionis etiam rerum de loco in locum meminit: ipſum verò locum ad ſubiecta contulit. Quid vis amplius?

Agat igitur, inquis, *Logicus noſter de motu vniuerſè: poſteà de locali: de natatu, volatu, reptione, &c. concoctione, elixatione, putrefactione. Et quia motus eſt adiunctum corporis naturalis: agat etiam de corporibus cœleſtibus, elementis, animalibus, &c. Agat etiam de Metaphyſicis: de Theologia: de habitibus, de Mathematicis, &c.* Subſiſte quæſo, Peripatetice, ſatis longè per calumniarum & ſarcaſmorum campos impudentiſſimos exſpaciatus es. *Videor enim nunc audire vocem quorundam* Rameorum: *qui te iubent* ex throno Peripatetici regni pauliſper ad triuiales ſecum *redire* ſcholas: & Dn. Philippi Logices Erotema quartum libri primi: vbi de Logices agitur materia, diſpicere.

Sycophantiæ tuæ tale fundamentum: Ramus agit de motu: Ergò aget etiam de omnibus motuum exemplis: deq; rebus omnibus, in quas motus incidit. Alia non eſt ſequela tuarum irriſionum. Iudicet lector quilibet. Cur non dixiſti breuiùs: *Dialecticam verſari circa omnes materias ſeu quæſtiones,* Ergò omnes illæ

ſunt

ſunt in Dialectica proponendæ. Hîc pro me reſpondet Dn. Philippus: *Diſcrimen eſſe conſiderandum inter materiam, & artes, quæ monſtrent ordinem & modum fabricandi aliquid ex materia: non enim res ipſæ naſcuntur in Dialectica tractandæ: ſed modus & forma qua tractari debent.* Quippe continet illa νοήματα ſecunda, & generales notiones: quibus tanquam inſtrumentis animus noſter νοημάτων primorum naturas, & ſeriem percipere commodè poſſit. Sic enim Subiectum eſt cui adiungitur aliquid: quod rebus in natura poteſt omnibus accommodari: quæ ſibi preter eſſentiam ſuam aliquid adiungunt. Res autem ipſæ, quæ ſibi aliquid adiungunt, non explicantur in Logicis, nec explicari debent: quamuis exemplorum gratia multæ res ex vniuerſo ſubijciantur, quę ſæpè etiam, modis quibuſdam, docendi cauſa, includuntur. Quemadmodum anima eſt ſubiectum habituum: corpus ſanitatis, roboris: homo diuitiarum: locus rei locatæ: ſenſilia ſenſuum. Sed ideò non ſequitur: in argumento ſubiectorum eſſe explicandum de anima, homine, ſenſilibus, & alijs exemplis doctrinarum. Sic in Adiunctis exempla recenſentur: animi corporisq; bona: virtutes & vitia: quæ ſunt illorum adiuncta. Ergò Ethica in doctrina Adiunctorum tractanda?

Diſtinguendum inter res ipſas, & modum res tractandi.

Veniamus ad rem propiùs. Cauſa eſt inſtrumentum logicum: quo vtimur in rerum qui-

buslibet notitijs inuestigandis. Causæ autem sunt rerum omnium: aliæ sunt Physicæ: aliæ Diuinæ: aliæ Ethicæ: aliæ Mathematicæ: aliæ alius generis. De omnibus igitur his in doctrina causarum præcipiendum: agendum de Deo, qui est causa vniuersalis: de rebus naturalibus, quæ causæ sunt rerum aliarum? Minimè. Instrumentum enim duntaxat in Logica traditur: non res instrumento tractandæ. Tangemus iam vlcus ipsum.

Motus est agitatio à causarum principio producta: per quam semper adquiritur aliquis terminus. Qui similiter est instrumentum: per quod in variarum rerum cognitionem perducimur: quæ cùm aliâs essent obscuræ, motu quodam vel effectu deprehenduntur: cuius admodum magna, & euidens ratio est: in generationibus & corruptionibus. Ecquid autem propter hanc causam, quòd instrumentum hoc in Logica traditur: res omnes, quæ motum de se præbent, in Logica sunt explicandæ? minimè. Nisi velis omnes materias, de quibus differitur, in Logicam transponi.

At verò dices, *species ipsæ saltem motionum in Logica debent proponi.* Si tales sint, quæ generales instrumenti vires generaliter illustrent, de quibus antè dictum, non repugno: quin generatio rerum, & corruptio, & loci mutatio: tanquam generales notiones omnibus rebus

ex æquo

ex æquo competentes, vt suprà probatum, inter effectorum genera referri possunt: & exemplis illustrari. Sic enim Grammaticis præsens gignit de se præteritum: præteritum futurum coniunctiui. Simplex gignit de se compositum, primitiuum deriuatum: quod maioris est significationis, huic adimitur per diminutiuum. Sic in figuris Grammaticis est Augmentatio deminutio: immò etiam corruptio in Syntaxi. Sic Græca vox si mutetur in latinam est alteratio. Sic metathesis est translatio vocis in alium locum. Vide motionum species omnes. In Iurisprudentia ius constituitur & vicissim dissoluitur. Legi aliquid additur, eidem sæpè etiam aufertur. Vnus contractus transformatur in alium. Repræsentatio & substitutio ex vno quem in alterius locum transmouent. En motus hîc iterum species omnes. Similiter in alijs artibus faciendum. Et istæ motuum generales adfectiones si velletis ita dari vobis possent.

Si verò primæ notionis rerum motus ipsarum hîc integrè supponi censetis: quis ille Peripateticus ita ferox & insipidus: vt non erubescat dicere: si de motu tractetur in Logica: quòd de motuum exemplis omnibus in rebus singulis sit dicendum? *Vbi genus tractatur, ibi debet etiam tractari species: Ergò vbi de motu agitur, ibi debet agi de natatu, volatu, concoctione, maturatione, &c.* Hoc elumbe nimis argumentum Ramei

adolescentes ita solēt refellere, negando propositionem: quòd de speciebus Logicis hoc dici verè queat: non autem de Physicis vel quibusdam alijs. Motus enim est genus Logicum, secundæ intentionis vt loquuntur: ipsius igitur eadem ratione species debent considerari. Species autem hæ: natatus, volatus, respectu Logici generis, sunt primæ intentionis: cùm nec generales sint omnibus rebus, nec à rebus abstractæ: sed in certis rerum naturalium corporibus consistentes. Vel: Genus logicum est de forma, & modo disserendi à rebus abstractum: hæ verò species sunt res, & materiæ ipsæ, de quibus disseritur, cum rebus concretæ. Nulla igitur est à genere abstracto ad speciem concretam illatio. Quippe idem hoc esset: ac si diceres: vbi traditur regula: ibi debent omnia tradi exempla. Species enim hæ motuum physicorum sunt exempla sui præcepti in Logica: quę duntaxat ea ratione species sunt: & ibi proponi possunt: quatenus sunt motus ab agente producti, & motus definitionem Logicam illustrant. Quo casu non necessariò species generi subijciuntur: sed tantùm declarationis causa: eæq; non omnes, sed vna atq; altera. Exempli causa: *In VM sunt generis neutri.* Hîc omnia, in VM desinentia, sunt species vel exempla: vt *scamnum, templum, &c.* quæ tamen non est necesse poni omnia, & vix est possibile: quamuis o-

mnia isthuc pertinere debeant. Eadem ratione motus est agitatio è causis existens: vt sunt: volatus, natatus, ambulatio, concoctio, scriptio, lectio, &c.

Quemadmodum igitur in Grammaticis, sub ista regula, agi non debet de vocabulis his: Scamnum, Templum, &c. quid significent: quænam scamni materia, quæ templi forma, &c. vel cuius figuræ, declinationis aut numeri sint hæ voculæ: sed tantùm, quod attinet ad illam terminationem VM ratione generis: Sic etiam in Logicis de natatu, volatu, &c. non agitur: vt illorum ratio diuersa & facultas ex rebus subiectis declaretur: sed vt sint exempla motus à mouēte causa producti. Vtq; ibi non est necesse omnia congeri exempla: sed vnum atq; alterum pro libitu ponere: sic etiam hoc loco sufficit: vnico atq; altero definitionem declarâsse. Et quemadmodum insulsus esset ac meritò deridendus, qui sic argumentaretur: virtutes & vitia, item sanitas, morbus, sunt adiuncta, quia ipsis aliquid subijcitur: id quod ne quidem Peripateticus negauerit: ergò virtutum & vitiorum, tuendæ valetudinis, & morborum doctrina inter adiuncta est explicanda. Eadem ratione (*sophisticeris quantum velis*) sequitur hoc etiam: volatus, reptio, concoctio, assatio, sunt effectus, vel motus à mouente causa producti: ergò physica volatus, reptionis, &c. doctrina in do-

ctrina motus Logica proponenda. Deus eſt cauſa: ergò de Deo doctrina in genere cauſarum Logicarum tractanda.

Quod cùm non ignoret Peripateticus: immò ſic ipſemet hoc capite in fabrilibus diſtinguat: cogita quæſo, lector optime: quis candor eum corripuerit: quòd per totum caput hoc, ex tàm puerili & lubrica ratiuncula, cum poſticis, & leuiculis ſannis, Ramum confuſionis horrendæ in artibus inſimulat: quæ per ſomnium venit ipſi nunquam in mentem. Et oſtendunt omnes phyſicorum libri, ab ipſius adſeclis, Domino Freigio, & inprimis clariſſimo Scribonio promulgati: quàm ſcitè, quàm cõuenienter motus phyſicos ſuo quoſque loco collocârint: & cum rebus ſuis, à quibus exiſtunt, explicauerint. Oſtendunt tot ipſius Rami proteſtationes: ex quibus conſtare cuiuis poteſt: quo ſenſu motum tranſtulerit in logicum agrum: nimirum vt generale argumentum: cuius exempla ſint, omnia motuum in omnibus artibus exempla.

Ramus Phyſicæ ſuos non ademit motus.

His tamen omnibus inſuper habitis, audet hic Peripateticus, *μανίᾳ* ſua, fortè Galenica, correptus, ex odio inueterato publicè quiritari, & coràm toto orbe ſcurriliter in virum beatè mortuum debacchari: *quòd rerum omnium perturbationem, & ſcientiarum vel metamorphoſin, vel confuſionem inuexerit:* cùm tamen eorum, quæ toto hoc capite ſine mente deblaterat, ne mini-

minimum quidem poſſit apicem in vllis Ra-
mi vel Rameorum ſcriptis probare. Nec eſt,
quòd dicat aliquis: ipſum hoc collegiſſe ex
hypotheſi Ramea: non autem Rameos iſtius
inſimulâſſe criminis. Sat equidem fuiſſet hoc
impudens: ex puerili ſophiſmate tàm horren-
da coniectari abſurda: attamen impotenti
condonandum adfectui. Verùm quòd hæc e-
uomit ita de Rameis: atq; ſi reuera conuicti
eſſent iſtius hæreſios: vt apoſtrophe ad lecto-
res oſtendit: adeò ſuperat omnem inhuma-
nitatem, odium, & inuidiam: vt verbis expri-
mi non queat.

Tu verò, beneuole lector, (libet hîc Peripate-
tico epilogum ſuum per parodiam in effron-
tem penè retorquere frontem) *in tanta* Peri-
pateticorum virulentiâ, & profligatâ in erro-
ribus Ariſtotelis defendendis pertinaciâ, cum
implacabili odio in puræ Philoſophię ſtudio-
ſos coniunctâ, *quid cogitas? ridéſne, an ſtomacha-
ris? Ego, vt ingenuè tibi dicam, neq; rideo, neq; ſto-
machor: ſed miſeret me primùm imperitæ adoleſcen-
tiæ, quæ* tàm vanis, ſplendidis, prolixis, & per-
plexis Peripateticorum quorundam nugis,
indefeſſo cum ſtudio, & aſinino labore, ni-
mis imprudenter incumbit: & poſteàquam
magno cum temporis & bonorum diſpendio,
multos ad annos, in iſtis Peripateticorum
ſcriptorum gyris, atq; Mæandris, tanquam ad
ſyrenios ſcopulos conſenuit: parum admo-
dum

dum emolumenti solidi, ad rationem vitæ pertinentis, præter argutæ delectabilisq; subtilitatis aculeos, secum ad vitæ communis salutem, quò debebant omnia spectare, reportat. *Deinde ex animo pudet patriæ nostræ communis: quæ cùm* Hispanorum & Italorum ingenia non rarò videretur adæquare posse: si, quod illi faciunt, propædiæ præceptis, in artibus dicendi, compendiosè & breuiter percursis, vni alicui facultati se totum manciparet, Peripateticorum & aliorum perplexis & friuolis commentationibus intermissis: in ijs tamen laborem consumit inexplebilem: quæ à superiori quadam facultate diutiùs illam remorantur: & ad feces vsque exhaustæ, parùm admodum ad vitam siue publicam, siue priuatam deferunt.

Et hoc ad huius etiam capitis deliramenta delira, quo nullum vanius, & virulentius huc vsq; fuit, responsum percipe: & illa, quæ Rameorum Logicæ voluisti ridiculus obtrudere, inprimis verò primam tuam Philosophiam, quam ne quidem Ramei vel in extremis Philosophiæ suę angulis aspicere dignantur, tibi recipe: coque: mande. Tua enim prodigalitate non egent: teq; de tuo posthac, si largus esse voles, non de eo, quod iuris est publici, largiri iubent.

DIS-

DISSERT. SCHERB. CAPVT VIII.

De καθ' αὑτό.

EA quæ per se insunt subiectis, vel primò insunt, vel secundò: ita etiam causæ per se causantes, vel primò id faciunt, vel secundò: Verbi gratia: sensus inest in animali per se & primo: in homine per se quidē, sed non primò. Ita causæ secundæ agunt quidem per se & sua vi, sed eâ excitatâ à prima causa. Ita etiā morbus per se est causa continens omnium symptomatum, sed non primò omnium. Vt igitur illud (secundò) tolleretur, & omnia reuocarentur ad primò, tertia hæc nota addita est. Ex qua perspicere licet, vocabulum per se significare πρὸς μίαν φύσιν: *quemadmodum nomen substantiæ* κατὰ πρότερον *significat eas, quæ cerni & tangi possunt:* κατὰ δεύτερον δ', *vniuersalia, scilicet species & genera. Talia verò vocabula interdum latè vsurpantur, pro omnib. significatis: interdum presse, pro primario. Vocabulum igitur per se, interdum in ampla significatione vsurpatur pro omnibus ijs, quæ per se primò & per se secundò, talia sunt: atque in hac ampla significatione, eius fit quasi diuisio, in per se pri-*

ſe primò, & per ſe ſecundò: interdum & ſæpiùs, pro primario illo per ſe, κατ' ἐξοχὴν ſumitur. Simpliciter enim aliquid prolatum ſignificat præſtantiſſimum in genere: ut ait Gal. atq; ita quidem utitur Ariſtoteles, cùm καθ' αὑτὸ & ᾗ αὑτὸ, dicit eſſe idem.

RESPONSIO AD CAPUT VIII.

QVIA ſuperiori capite calumniarum & ſcommatum magna cum copia virus euomuiſti: ſuſpicor hanc eſſe cauſam: quòd in hoc capite modeſtus fueris: vt ad ſequentia protelanda reſpirares. Linquo itaq; tuas tibi, cum tuo, *per ſe primò & per ſe ſecundò* ſubtiles & ieiunas argutiolas: quibus Ramei non indigent, certis maximarum & conſequentiarum regulis in prædicationibus quibuslibet confiſi.

DISSERT. SCHERB. CAPUT IX.

De crimine Tautologiæ.

HAnc regulam nominant regulam Sapientiæ: per me ſanè, ut loquar cum Galeno, etiam ſcindapſum appellent: Res modò nobis maneat: & ſciamus de ſapientia primo Metaph. haud paulò aliter diſputari. Illud potiùs videa-

videamus, an quæuis eiusdem rei repetitio sit vitiosa, & nomine Tautologiæ condemnanda, vt noua Philosophorum natio sæpè criminatur. *Quod re diligentiùs consideratâ, planè non videtur: Exempli gratiâ. Scripsit Gal. de humoribus librum, in quo* ἁπλῶς *& in sese, humorum naturam explicat. Scripsit idem de facult. alim. Hîc, cùm facultas alimenti, quatenus est alimentum,* παθητικὴ *sit, non* ποιητικὴ *(Hoc enim medicamenti est) facere non potuit, quin rursus de humoribus ageret, in quos alimenta facilè abire possunt. Quia verò febrium quædam differentiæ, ex differentijs humorum nascuntur, neq; hîc aliter fieri potuit, quin tertiùm mentionem faceret humorum. Ita idem Gal. scripsit librum de differentijs morborum, in quo morbos omnes generatim nominauit: scripsit etiam de causis morborum, in quo non video,* quomodo causas istas explicare potuerit, nisi morborum iterum mentionem faceret. *Post hos scripsit libros de causis symptomatum: at cùm morbi ipsi sint symptomatum causæ, potuitne in illis libris morbos tacere? potuitne in lib. de locis affectis docere, quibus morbis partes abditæ laborent, sine repetitâ*

morborum mentione? In libris Methodi, & in libris de simplicibus ac compositis medicamentis docet curare morbos omnes in vniuersum, & morbos partium singularum: quare necesse habuit & morborum & locorum affectorum sæpè meminisse. Idem possumus videre in libro de oculis, qui Galeni putatur. Atq; hæc eadem repetitio in alijs multis sæpissimè occurrit, vt vnicuiq; obseruare licet, et hanc nullus scriptor prudens potest effugere. Nam idem hoc ostendit apud Arist. duobus propositis exemplis, sensionis & motus, opt. noster præceptor. Iac. Zabarella ὁ Μαχαείτης: siquidē de sensione actum est in secundo de anima, & in de sensu & sensili. Sic de motu animalium tùm in de incessu, tùm in tertio de anima; tùm deniq; in de communi animal. motu. Sciendum igitur, vt ille rectissimè docet, totam πραγματείαν de animalibus in tres partes diuisam esse: In vna agitur de materia animalium: in altera de forma: in tertia de operationibus & accidentibus consequentibus. Quùm igitur in his tribus partibus diuersi sint scopi, nullum absurdum est, si in ijs omnibus de aliqua eâdem re agatur, propter diuersos scopos. In libris quidem de anima, nullus alius est Aristotelis scopus, quàm naturam

animæ

animæ declarare. Quòd si de operationibus quoque plura dicit, id facit, vt per ea nos ducat in cognitionem animæ, non quòd consiliũ eius sit ibi ipsarum secundum se operationum cognitionem tradere: Idque ipse significauit in principio libri de sensu & sensilibus, quando dixit, se egisse de anima secundum se ipsam, postea agendum esse de operationibus: quoniam igitur de operatione sensuum in secundo libro de anima locutus erat non propter se, sed propter cognitionem partis animæ sensibilis, ideò de eadem scribere voluit librum de sensu & sensibilibus, in quo ipsius secundũ se operationis perfectam notitiam nobis traderet: Ideò si in eo libro aliquam ipsius animæ mentionem facit, non ampliùs eam considerat secundum seipsam, sed propter cognitionem operationum, quarũ est causa: In solis enim libris de anima verè dicimus ipsam secundum seipsam animam, eiusque naturam declarari: hic enim solus est eorum librorum scopus. Sic de motu dicendum est: In libro enim de incessu, nullus alius est scopus, quã declarare partes instrumentales, quæ motui animaliũ inseruiunt: quòd si de ipsa quoque operatione ibi sit sermo, non est propter ipsius motus cognitionem, sed propter notitiam partiũ organi-

carum: motus enim est earum causa finalis, per quam ipsæ partes cognoscendæ sunt: In tertio autem de anima libro, nō est Aristotelis consilium declarare ipsum animalium motū, quomodo, & à quibus causis fiat, sed solùm facultatem animæ motricem, quæ declarari non poterat sine ipsius motus consideratione: restabat igitur vt de motu ageret secundum seipsum: quod facit Arist. in libello de communi animalium motu, vbi huius operationis cognitio traditur per suas causas: quoniam igitur omnis tractatio nominatur ab eo, quod sui gratiâ tractatur, non ab eo, quod propter aliud, ideò non de eadem re sunt illæ tres, quas diximus, distinctæ tractationes: sed in libro de incessu agitur de partibus organicis inseruientibus motui: in tertio autem libro de anima, agitur de facultate animæ motrice: demum in libello de motu agitur de ipsomet motu: non igitur repetitur. Hactenus Zabarella idem frustra. Sed ostendamus nos etiam alijs. De causis explicare pertinet propriè ad sapientiæ professorem, quia ea est summarum causarum contemplatio. Sed quia eædem, sunt organum quoq; cognoscendi & philosophandi, necesse habuit Aristoteles de ijs etiam agere in harum rerum orga-

organo. Iam quia quæq; scientia suas quasdam causas contemplatur, (omnis enim scientia est Σοφία quædam) ideò etiam secundo physicorum tanquam in παιδείᾳ de ijs actum est. Ita Idearum pertractatio propriè primi Philosophi est. Nam cùm is agat de diuisionibus entis, explicet oportet, an genus hoc entis in rerum natura sit. Quoniam verò propter generationem & scientiam introductæ fuerunt, immò beata etiam vita, in illis quodammodò constituta, hinc & in Analyticis & in Physicis & in ciuili scientia, reijciendæ fuerunt: non quòd libenter veritatis Philosophus, in earum auctores incurreret, aut tautologico vitio laboraret: sed quoniam suam veritatis Philosophiam constituere non potuit, nisi peruagata opinione idearum, è mentibus hominum penitus exterminatâ. Hodie quoq; de vbiquitate oportet disputes, tùm in doctrina de persona Christi, tùm etiam de sacra Cœna, tùm deniq; in articulo de Ascensione, & fortaßis etiam alibi: Idq; sine vllo animi morbo, aut crimine tautologiæ. Idem dico de quattuor vocatis elementis: de materia prima: de scientia: de alijs. Qui igitur hæc dicunt tautologica, videant, ne habitu παιδείας iudicentur carere. Verùm est & alius

repetendi modus, quando in eodem opere eadem sententia sæpiùs inculcatur: vt cùm in Methodo med. Gal. sæpißimè submonet, indicationem curandi sumi à morbis, & à partibus morbo affectis. Et sanè Gal. si hoc vitium est, sæpè in id incidit: sed illud vitium esse, ipse negat: vt loca aliquot de ea re annotauit, summus vir Comes Muntanus. Quarto quidem Aphoris. com. 22. sic scribit Galenus: Facta est à nobis & in antecedente aphorismo distinctio inter humorem melancholicum & nigram bilem, de qua nunc sermo habetur ab ipso: & caussam, ob quam ab initio lethales sint huiusmodi humores, postea verò iudicatorij appareant, in illo aphorismo sufficienter percurrimus: sed & nunc repetamus: Quoniam ea, quæ sunt ad artem maximè necessaria, sæpè tractare sit melius. Et 10. Meth. cap. 5. sic ait: Quæ maximè sunt ad curationem necessaria, eademq; maximè ignorata, nec Hippocrates ipse identidem repetere grauatur. Et 2. de tuend. Val. ait: De ijs, quæ maximè necessaria sunt, vel sæpiùs meminisse, non sit profectò inutile. In his igitur omnibus repetitionibus facessat crimen tautologiæ: Quod tùm demùm verè obijcitur, quando in specierum explicatione repetitur generis

neris

neris affectio: à qua culpa (fatendum enim eſt) non abeſt Plinius in deſcribenda natura animalium: & hodie medici practici in eodem luto hærent. Nam, verbi gratia, quæ indicat inflammatio, quatenus inflammatio, repetuntur in omnibus ſpeciebus inflammationum, phrenitide, pleuritide, inflammatione ventriculi, renum, hepatis, vteri, &c. Idem faciunt in aliјs morborum generibus, non animaduertentes, quantò diuinius hæc Gal. in Methodo medendi.

RESPONSIO AD CAPVT IX.

ET ita lex etiam καθ' αὐτὸ diuexata fuit: ſequitur tandem lex καθόλου: qua Ramei præceptum volunt: vt artium theoremata ſapienter digerantur: generalem adfectionem generi, ſpecialem ſpeciei tribuendo. Secus dicunt Tautologiam committi: ſi generalis adfectio ſpeciebus attributa ſit. Nec tamen idcircò quamuis eiuſdem rei repetitionem ſimpliciter vitioſam, & tautologiæ nomine condemnant: vt hic Peripateticus noſter pro ſuo candore criminatur: ſed duplicem docendi rationem faciunt: vnam contractam & ſimplicem: aliam explicatam & plenam. In illa leges artium diſtrictè ſeruari cupiunt omnes,

Duplex docendi & artes conſcribendi ratio.

per præcepta veriſſima, homogenea, generalia, breuia: vt ſunt: definitiones, diſtributiones, & partium quarumlibet proprietates. In iſta verò veritatis quidem limites non excedunt: at in reliquis, vtilitate poſcente, non rarò paulisper à norma deflectunt: vt præcepta prolixiùs illuſtrent, & fuſiùs euoluant: heterogeneum quid interdum miſcent: & ſemel dicta quandoq; repetunt. Priorem rationem volunt in artibus deſcribendis ſeruari: poſteriorem in artium commentationibus vel prælectionibus: vt ibi artes ſimpliciter proponantur: quomodo memoriæ debeant à tironibus infigi: hîc explicentur: quomodo clariùs & expeditiùs debeant intelligi. Illæ pertinent ad diſcipulum: quas artes contractas, & in ſpecie *artes* adpellant: hæ verò ad præceptorem: quas artes explicatas & vno verbo *commentaria* dicunt: à quibus abſtinere diſcipulus debet: donec artibus perceptis, ipſemet etiam poſſit adferre ſuum iudicium, & proprio marte commentaria quælibet curſim peruoluere. Non igitur *repetitio quæuis* eſt tautologia: ſed illa tantùm: quando idem præceptum, eodem modo, in eadem arte contracta, ſemel atq; iterum, repetitur. Hæc Rami & Rameorum ſententia: quam Ramus ipſemet, cùm in artibus eſt ſecutus, vbi breuiſſimus: tùm in ſcholis, & commentarijs, vbi longus.

Quid Tautologia.

Quid

Quid hic ſcabit medicus noſter ſcabiei? *Galenus id non obſeruauit: nec Ariſtoteles.* Quid hoc ad Rameos: qui non dicunt: quid à tuis idolis ſit obſeruatum: ſed quid in arte legitimè deſcribenda fieri meritò deberet. Deinde probabile eſt: ipſos non artes ſimpliciter ſuas pro tironibus in ſcholis ſcripſiſſe: ſed multò magis prolixas & perplexas de artibus commentationes: in quibus tu tuiq; ſimiles vos macerare poſſetis. Quæ verò neceſſitas Galenum coëgit: vt tribus in locis humorum doctrina fuerit explicanda? Si generaliter & ἁπλῶς de humorum natura ſcripſiſſet: nonnè potuiſſet vnam doctrinam omnibus accommodare ſpeciebus: & in doctrina febrium, ac alimentorũ diſcipulos iſthuc remittere? *Humorum doctrina in alimentis eſt neceſſaria: item in febribus cognoſcendis: Ergò illis in locis repetenda.* Sic diſputes ſatis ridiculè. At ideóne, quod artiũ quibuſdam ſpeciebus communiter competit, & in genere prænoſcitur, repetendum fuerit in illis artium ſpeciebus ſingulis: quod inibi ſcitu neceſſarium? Hac ratione Dialectica tota in Rhetorica veſtra eſt repetenda: quia Rhetores argumenta inueniunt: & eadem axiomaticè, vel ſyllogiſticè diſponunt: methodicè digerunt. Hac ratione Arithmetica in Aſtronomia: Geometria in Architectonice, & alijs artibus ſimilibus repetenda, quibus omnibus æquè neceſſaria. Sic in tua

Tautologiæ Galenicæ.

Nõ omnia ibi eſſe tradenda, vbi illarum notitia neceſſaria.

Medicina cognitio ſimplicium, & anatomia recoquenda: ſicuti plerumq; fieri videmus: quia Medico neceſſaria. Sic in Oeconomia, & Politia doctrina virtutum generalium repetenda: quia nemo ſine his poteſt domum vel rempub. adminiſtrare. Eadem eſt in his, quæ in tuis Galenicis ſequela.

Quid hac admiſſa ratione, non poſſet admitti in artibus quibuslibet: ſi, quod ad præcepti alicuius cognitionem facit; id omne ſit aliundè repetendum? Doctrina prædicationis *regularis, figuratæ & inuſitatæ*, quam nouiſti ex præceptore noſtro Dn. Philippo, non poteſt intelligi ſine troporum doctrina, cur igitur ibidem tropica doctrina non fuit inculcata? Sic doctrina fallaciæ accentus, item compoſitionis & diuiſionis, non poteſt intelligi ſine orthographia & proſodia: Sic amphibolia, figura dictionis, & homonymia, non poſſunt intelligi, ſine vocũ proprijs & diuerſis ſignificationibus: ſineq; ſyntaxeos & etymologiæ cognitione: ſequitur igitur orthographiam, proſodiam, etymologiam, & ſyntaxin: adeòq; totam grammaticen in Logica docendam? Sequitur omninò: ſi ſtare vis hoc tuum fundamentum: *quicquid ad alicuius rei cognitionem eſt neceſſarium: id ibi repetendum.* Quod ſi dixeris: vt tamen repetitio ſit in eodem genere artis; reſponde ad illud: quod de Oeconomice, & politice propoſui: quæ ſunt partes

tes Ethices: & pariter agunt de virtutibus, atq; Ethice ipsa. Insipida est igitur hæc excusatio tautologiæ Galenicæ tua. Ideò generalia debent præmitti: ne cogamur illa singulis in speciebus repetere.

Sed adfer alterum Galeni exemplum: *Idem scripsit de morborum differentijs: de causis: de symptomatibus: de locis adfectis: de curis: & seorsim de singulis. Ecquid hic potuit euitare, quò minùs morborum mentionem faceret?* Quid mihi de mentione vocis cuiusdam blateras? Tautologia non est repetitio vocis vnius atq; alterius: sed totius, vel plurium præceptorum eandem rem, quæ fuerat antè tractata, retractantium. Si verò de re ipsa putas: quæ causa fuit: cùm antea tractauit de differentijs morborum: vt in symptomatis, locis adfectis, & curis, de ijs retractare debuerit? At, inquies, *quomodo potest de causis tractare morborum: vt non recidat in differentias: quomodo de locis adfectis & curis: vt non easdem repetere debeat?* Diffiteri hæc non possum: neq; volo. At, inquam ego, quis tuum Galenum ita docere docuit: vt quæ connexa erant discerperet? sibi imputet, peruersa sua tractandi ratione: quòd in has se tautologiæ coniecerit angustias.

Tautologia non est in vna vel altera voce.

Aduerte quæso candide lector: nonnè qui docet morborum differentias, hoc est, definitiones: is eadem debuit opera de causis edocere? certè differentiarum optimæ sumuntur

ex cau-

ex cauſis. Cur igitur tractans cauſas præcipuas, formam ſcilicet & materiam; ex quibus differentias ſumi neceſſe eſt: non etiam tractauit de reliquis: quæ ſimiliter differentias conſtituunt? Et cur non etiam ſimul tractauit de locis adfectis: in quibus iterum differentia ſtatuitur: ecquid morbi ſint capitis, pectoris, ventris, &c.? nonnè, cùm traditur accidens: debet eius etiam tradi ſubiectum proprium: quod tumet ipſe probas? Cur item non adiunxit cuiq; morborum differentiæ ſua ſymptomata: nonnè hæc etiam ſigna ſunt antecedentia & incidentia, per quæ ſæpè morbus cognoſcitur? Cur deniq; non ſubiunxit ſuam cuiq; morbo curationem: tanquam finalem cauſam, propter quam morbi cognitio inſtituitur?

Ita ſi ex præſcripto rationis & Methodi iuſtè morborum tractâſſet doctrinam Galenus, omnes tautologias euitare commodè potuiſſet. Ideóne igitur probanda tautologia: quòd quis illam ob ineptam tractandi rationem non euitare potuerit? Cur igitur Plinium vellicas, & tuos ſocios, quòd in ſingulis morborum ſpeciebus generales eorum repetant adfectiones? repetunt ideò: quòd in genere non propoſuerint; & idcircò repetunt neceſſariò. Hos cùm reprobes, & meritò quidem: ſua enim culpa ſe coniecerunt in eas anguſtias: cur non audes ob eandem, & fortaſſe craſſiorem

causam redarguere Galenum & Aristotelem tuum? Nimirum hæc idola tua reuerenter habenda. O stupida dominatus, & auctoritatis Aristotelicæ mancipia!

Planè similia sunt, quæ profers ex Aristotele, futilis tautologiæ exempla. Qui naturam nobis animæ tractandam sibi proponit, is illam ex seipsa, & secundùm seipsam, nunquam ritè explicuerit: nisi per operationes in eius cognitionem nos deducat: vt ipse fateri cogeris: Cur igitur non egit simul Aristoteles de operationibus? Nonnè effectus proximi & proprij per se suæ insunt causæ? responde. *Tautologia Aristotelica.*

Futilius est quod sequitur: *In vno libro agitur de animalium motu ipso: in alio de facultate mouente: iterum in alio de motus instrumentis.* Quid, quæso te lector optime, magis connexum & coadunatum dici fingiuè potest: quàm hæc tria: motus, causa principalis, & instrumentalis eiusdem? Fatetur hic cum Zabarella noster medicus, quòd alterum sine altero tractari fuerit impossibile: & idcircò tautologiæ sunt excusandæ? Ita nulla potest vnquam tautologia reprehendi: crassissima licèt. Omnis enim oritur ex praua digestione illorum: quæ cohærent. At cur fuit ita stolidus Aristoteles: vt naturâ cohærentia distraxerit? nonnè effectu inest causę suę? & nonnè instrumentum principaliter agenti, vel illi, qui instrumentum vsurpat,

ſurpat, inhæret per ſe? Cur igitur, cùm de animæ facultate motrice egit: ſimul non egit de motu: & inſtrumentis. Quàm verò ridiculũ, agere de facultate mouente: & non de motu? agere de motu, & nõ de facultate mouendi? agere de inſtrumentis: & nõ de vſu cui inſeruiunt? Quid agis tandem medice: dormis: an ſomnias? vigilare enim vix credo. Quid eſt facultas mouendi? eſt animæ potentia, qua agitatur ad generandum, corrumpendum, alterandum, augendum, &c. Quid inſtrumenta motus? quibus vtitur anima in generando, corrumpendo, &c. Vides neceſſariò dici eadem ſemper de iiſdem. Si diceret aliquis de facultate caloris in igne: & tamen non diceret de calore: ecquid hoc poſſibile dictu vel factu? Attamen tibi credere debemus hoc Ariſtotelem feciſſe: hunc illum ſibi in qualibet tractatione ſcopum præfixiſſe. Præfixerit ſibi ſanè: ecquid autem verè. Præfixit etiam ſibi mundum eſſe æternum: animam eſſe mortalem: ſine corporis ac fortunæ bonis abundantibus vitam non eſſe beatam. Ecquid tu credis? Si Chriſtianus es: videbis: ecquid hoc ita ſe habeat veritate inſpecta? Cur non idem facis hîc? O ſtupida, dico rurſus, Ariſtotelis mancipia!

Cauſarũ doctrina ecquid in

Sed oſtende alia. *Cauſarum doctrina propriè pertinent ad ſapientiæ profeſſorem: ſed traditur etiam in Logicis. Iam quia quæq; ſcientia ſuas quaſdam cauſas*

sas contemplatur: ideò etiam in Physicis tanquam in παιδεία de ijs actum est. Nihil credò quicquam protulisti stupidius. Patere quæso: redigam tua argumenta, quibus probas causarum doctrinam in Physicis rectè traditam, ad Syllogismi formam: *Physicis proponenda.*

Quæcunq; scientia suas quasdam causas contemplatur: in illa de causarum doctrina rectè agitur.

At Physica est talis scientia. Ergò, &c.

Abrumpo, quia ferre nequis odiosissimos syllogismos. Hæc tua ratiocinatio: negare non potes: verba manifesta. Cur igitur causarum doctrina non traditur in Grammatica, Rhetorica, Arithmetica, Musica, Ethica, Iurisprudentia, Theologia. Sequitur enim eadem ratione: quia harum quæq; suas quasdam contemplatur causas: aliâs scientia non esset: quæ sola in causarum inuestigatione & scientia consistit. An verò Ethica non contemplatur virtutum & vitiorum causas: quæ solis causis distinguuntur? An verò Iurisprudentia causas legum quarumlibet & factorum non inquirit: secundùm quas sententias curiosè ferre solet? *Cap. 17.*

Si verò causarum generalis doctrina sufficit his in Logica præcepta; cur Physico non sufficit: maximè cùm eodem tenore proponatur causarum doctrina in Physicis, quo fuit in Logicis proposita. Physica causa est, cuius vi res est: illa procreat & conseruat: sola agit,

vel

vel cauſas adiuuantes, & inſtrumentales: per ſe agit, & per accidens. At hæc omnia Logica generatim propoſuit. Vide lector: quid veſanum faciat in falſis defenſandis ſtudium.

De Metaphyſices inutili ſcientia.

Sed quemnam ſapientiæ profeſſorem vocas? *Metaphyſices?* Putabam ego ſapientiam eſſe per totam philoſophiam diſperſam: & omnium artium ſcopum. Non eſt: ad Metaphyſicam ſpectat. Quid igitur illa tractat? Sublimia, ſubtilia, altiſſima, profundiſſima. De qua Plutarchus ille ſapientiſſimus philoſophus ait: quòd ἀληθῶς πρὸς διδασκαλίαν, καὶ μάθησιν οὐδὲν ἔχει χρήσιμον, hoc eſt, *reuera nihil neq; ad doctrinã, nec diſciplinam habeat vtilitatis.* Quod iudicium Dn. Philippus, teſte Chytræo, confirmat. Ex qua ſibi fingunt ſubtilitatum nugas interpretes, *de ijs rebus, quas nunquam Deus condidit, vt ſunt: formalitates, ecceitates, realitates, relationes, quidditates, identitates, Platonis ideas peruersè intellectas, &c.* vt Ludouicus Viues lib. 5. loquitur, de cauſ. corr. art. De hac igitur Ramiſtæ non magnoperè ſunt anxij: qui quod ſupra naturam eſt, & rationis captu non poteſt contineri, tibi tuiq; ſimilibus in aëre captandum relinquũt: illa duntaxat hyperphyſica cognoſcunt, quæ S. Dei ſpiritus, per SS. ſcripturam nobis reuelare voluit.

De Idea Platonica.

De peruagata Idearum opinione refutanda meliùs tacuiſſes. Quã fide verſatus in illa ſit aduerſus præceptorem Platonem tuus Ariſtote-

ristoteles, ipsimet interpretes abundè testatum faciunt: Themistius, Simplicius, Eusthatius, Iohan. Casus, & alij. Tantùm enim abest, vt falsitatis argui potuerit Platonis de beata vita sententia: vt ipse D. Augustinus illam vel è S. literis comprobauerit: de qua re paulò plura in dissertatione mea dixi: quò lectorem candidum remitto. Quoties igitur huius refutationem in scriptis recoquit Aristoteles: toties id tibi memoriam refricare debebat insignis cuiusdam calumniæ, sophistices, & philautiæ: qua verissimam de beata vita sententiam petulãter & ambitiosè suppressit: suamq; planè epicuream & brutam substituit, in Ethicis ad Nicomachum.

Controuersiam de Vbiquitate si Theologus in methodo sua, sub titulo de persona Christi planè differit: illam postea eandem in alijs religionis articulis de nouo non resumit explicandam: sed illuc discipulum remittit: nisi criminis tautologiæ reus esse velit. Cuius rei iudicium penes lectorem esto. Sententiæ cuiusdam in eodem opere sæpè iterata repetitio, si fiat in arte tironi discenda: quòd tautologia sit: tua tautologiæ definitio monstrat apertè: *quando nimirum in specierum explicatione repetitur generis adfectio.* Sententiam autem eiusmodi, si pluribus in locis accommoda sit, generalem adfectionem esse necesse est: in specie igitur repetita est tautologia; si fiat hoc in

arte tironi perdiſcenda. In commentarijs e- nim & artium explicationibus, item prælectionibus præceptorum, quò minus vtile præceptum ſæpè repeti poſſit, nihil impedit: & hactenus etiam neq; Ariſtoteles, neq; Galenus reprehenditur: ſi non tàm artes, quàm artium ſcripsêre commentarios.

Quid actum igitur: à tautologiæ crimine tuum Ariſtotelem volebas immunem facere: ſed fruſtra te laborâſſe, & curam non feliciter ceſſiſſe: lectoris eſto candidi iudicium.

DISSERT. SCHERB. CAPVT X.

Diſcrimen Apodictices, Dialectices, & Rhetorices ex fine.

Vidimus ſuprà Gal. ſummo ſtudio diſtinguere quattuor genera propoſitionum, Apodicticas, Dialecticas, Oratorias, & Sophiſticas: ſiue cuiq; ſcientiæ proprias & communes. Plato. *Plato etiam priùs docuit in Gorgia, duplicem eſſe* πειθὼ: διδασκαλικὴν *&* πιστικήν. *Græci interpretes pluribus locis idem monuerunt, ſi non ijſdem verbis, eâdem tamen ſententiâ. Alex. in ſoph. ait:* ἕτερον τὸ διδάσκειν τοῦ διαλέγεσθαι. *Euſtr. aliud docet, eſſe* πραγματικῶς φιλοσοφεῖν, *aliud* λογικῶς καὶ κατ' ἔννοιαν. *Simplicius differentiam agno-*

agnoſcit inter cognitionem πραγματώδη, *& cognitionem* ἔνδοξον. *Gal. inter rationes analogiſticas & epilogiſticas. Philop. inter* ἐπιστήμας *&* λόγους, *ſiue* διαλεκτικὰς μεθόδους. *Hieronymus inter* δογματικῶς *&* γυμναστικῶς. *Hoc igitur ſummus quoq; Ariſtoteles vbiq; in ore habuit. Quis neſcit apud hunc Philoſophum iſta inter ſe aduerſari, rem* πρὸς ἀλήθειαν, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σκοπεῖν, *vel* ἀναλυτικῶς, *& contrà,* διαλεκτικῶς, λογικῶς, κατὰ δόξαν? *Item eum coniungere* διαλεκτικῶς καὶ κενῶς? *Quin libris etiam ſuperiora illa ſeiunxit. Nam in Exotericis, non niſi* κατὰ δόξαν *ſermones introduxit: In Acroamaticis, (qui non ſolùm ſunt libri de principijs & motu, ſed omnes omninò, in quibus* πραγματικῶς *philoſophatus eſt, & philoſophandi etiam organum,) primùm quidem egit* κατὰ δόξαν: *poſtea tamen ſtatim* ἐκ τῶν ὑπαρχόντων.

Vidit autem ipſe, non quæuis ingenia hoc diſcrimen capere: *propterea in Rhet. ait, id pleroſq; omnes latere.* Et ſanè nō ſolùm tum latuit, ſed etiam poſtea à Stoicis, omnis Philoſophiæ deprauatoribus, hodieq; à nouis Stoicis, ita obſcuratū eſt, vt non dubitē cauſam multarū ineptiarū, q̃ libros logicos oppreſſerūt, huius rei ignorationi

adſcribere. *Aio igitur, Apodicticen eſſe artem* res contemplandi ἐκ τῶν ὑπαρχόντων: Eſſe organum philoſophandi πραγματικῶς: Eſſe artem τοῦ διδάσκειν: Tradere πίστιν διδασκαλικὴν, & rationes analogiſticas: Eſſe artem res ἐπιστημονικῶς, δογματικῶς, & ἀναλυτικῶς tractandi. Contrà verò Dialecticen & Rhetoricen, eſſe δυνάμεις de rebus agendi κατὰ δόξαν, γυμναστικῶς, λογικῶς, κατ᾽ ἔννοιαν, rationibus epilogiſticis: & tradere πειθὼ πιστικήν. *Nam vt in vita ciuili, aliud eſt officium ſapientis, quod dicitur eſſe perfectum & κατόρθωμα, ac in Tuſculanis quæſtionibus à Cic. eſt explicatum*, aliud medium ſiue inchoatum, cuius probabilis ratio poteſt reddi: *de quo in officijs idem auctor pertractauit:* ita etiam in cognitione ad mentem theoreticam pertinente, ſeſe res habet. nam medio officio reſpondet opinio, κατορθώματι ſcientia. *Ac vt pauciſſimi ſunt, qui κατορθώματα præſtent: aliquanto plures, qui officium medium:* ita millibus è multis, vix vnum reperias, qui ſit Analyticus, ſeu Philoſophus, pleriq; omnes Dialectici tantùm & opinatores. *Neq; verò de vocabulo Dialectices nunc litigo: ſed rem ipſam intelligo,*

quam

quam dico longè aliam in Topicis comprehensam, quàm in Apodicticis: neq; vnam esse vtrobiq; artem, aut in his quidem tradi iudicium, in illis verò inuentionem, vt quidam somniârunt. *Voces tu iam per me Topica, quo nomine voles. Si non vis Dialecticen appellare, nomines Blytyri, vt loqui solet Simplicius.* Sophistarum est, rebus omissis, de verbis certare. *Vt autem discrimen clariùs appareat, repetamus ex duobus tantùm fontibus nunc differentias: alibi enim vberiùs persecuti sumus. Ergò Apodictices finem constituimus,* Scientiam, tanquam habitum quendam & perfectionem primam: *Vnde Aristoteles à definitione* τῆς ἐπιστήμης, *vt à fine, exorsus est Apodictica. Constituimus etiam finem,* contemplari, tanquam habitus eius ἐνέργειαν. Dans enim formam, *dicunt Philosophi,* dat & ea, quæ consequuntur. Sanitatem faciens, facit etiam integras partium actiones. Constituimus item docere tanquā alteram eius ἐνέργειαν, quæ spectatur in societate ciuili, & communicatione sapientiæ. *Nam posse docere,* est signum scientis, *vt ait Aristoteles. Hinc Apodicticen nominat idem auctor,* λόγον

διδασκαλικόν. *Finem etiam dicimus esse cum Strabone* φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, si vtranq; ἐνέργειαν vno nomine velimus cōprehendere: *Inde apodixis vocatur* φιλοσόφημα, *&* *Apodicticus siue Analyticus vocatur Philosophus.* Finē præterea constituere possumus, Veritatem, vel quatenus obiectum est contemplationis, vel quatenus reipsa dicitur à Philopono, idem cum Philosophia. *De* *Dialectices autem fine & Rhetorices, longè secus se res habet. Primùm enim apertis verbis Græcus top. interpres, qui Alex. dicitur Aphrodisiensis, profitetur 6. top. Dialecticen, non esse* ζητητικὴν *veritatis: unde sæpè dicit,* τόπος ἔνδοξος μὲν ἀλλ᾽ οὐκ ἀληθής. *Et apud Aristol. vidimus antea, hæc inter sese contraria opponi,* κατ᾽ ἀλήθειαν rem examinare, & κατὰ δόξαν. Et sanè quî posset Dialecticus esse veritatis inuestigator, cùm per se & προηγουμένως (non ἑπομένως) in vtramq; partem disputet: non minùs certè Dialecticus est respondens, quàm interrogans. Immò cùm is accipiat sua epichiremata ab opinione: ea sæpissime violat veritatem. *Auctor etiam est Aristol.* αἱ ἀκροάσεις κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσι, *& in lib. de anima: Intus inexistens, prohibet externum.*

Finis Logices.

num. Accidere igitur potest, vt opinio pariat veritatem, sed non per se. Sic enim omnis opinio id faceret. *Idem hoc possumus colligere ex 8. top. quo loco, quemadmodum Dialecticorum disputatio, vera iudicetur, dignum est consideratione.*

Primùm *ea dicitur vera*, quæ & ex peruulgatissimis ac receptissimis propositionibus, & simul etiam ab respondente concessis, constat. 2. Quæ propositiones continet, non quidem peruulgatissimas, ab Respondente tamen concessas. 3. Quæ constat ex eiusmodi quibusdam propositionibus, quarũ quasdam interrogator concessas acceperit à respondente, quasdam ipse addiderit: hæ tamen sint etiam dignæ concessione. *Ex quibus videmus, vt se res habet in Ente: ita propemodũ etiam in vero.* Tanta vis entis siue essendi est, vt etiam non Ens, dicatur esse: priuationes enim & negationes, sine Est, non possunt proferri: Ita tanta quoq; vis est, & pulcritudo veritatis, vt ἔνδοξα etiam, quæ interdũ falsa, & non entia sunt, veritatis tamen nomine vulgò ornentur. Ergò si Dialect. ἔνδοξα & epichiremata cõsideres, quan-

quantam vim habeant, dices, opinionem, fidem aut dubitationem ijs posse excitari. *Est autem opinio inter ignorantiam & scientiam media.* Atq; ea & fides presse accepta, re non distinguuntur, sed λόγῳ. Opinio enim ἁπλῶς conclusionem intuetur: fides refertur simpliciter ad id, cui fidem adhibemus. *Hic autem fructus non est de nihilo. Nam* ἀπορία, *vt ait Ammonius*, est principium εὐπορίας, & via ad μάθησιν. *Verùm quia in dialogis, non solis Epichirematis pugnat interrogator, sed adiungit etiam certam propositionum* τάξιν *&* κρύψιν, *tanquam ad militem iam collectum, aciei instructionem & strategemata: Respondens autem scuto maximè vtitur: fit vt tunc quidem Dialecticorum finem dicamus victoriam: non quidem ambitionis, aut pecuniæ studio, vt Sophistæ: Sed meliori* προαιρέσει. *Interdum enim id fit exercitationis causa, quo scilicet disputando disputatores euadamus. Ex quo Dialectica dicitur* γυμναστικὴ: *dicitur etiam* προπαρασκευὴ *ad Philosophiam*: interdum vt ad ignorantiæ salutarem agnitionem deducamus ferocul os adolescentes, aut Sophistas: *quæ propriè dicitur* πειραστικὴ, *sæpè vsurpata à Socrate:*

crate: Interdum etiam ita agendum eſt, cum multitudine imperitorum, cui aniles opiniones eximi aliter non poſſunt, niſi per ἔνδοξα, *& ab ipſiſmet conceſſa. Inueniuntur enim nonnulli, vt ait Ariſtoteles in Rhet. quibus etiamſi cuius rei ſcientiam exquiſitiſſimam animo comprehenſam teneamus, perſuadere tamen facile non eſt, ſi ductis ex ea argumentis vtamur.* Nam oratio, quæ ex ipſa rei ſcientia ducitur, docendi ratio quædam eſt. Ipſi autem doceri non queunt: Immò neceſſe eſt è cõmunibus rationes & argumenta ducamus. *Exemplum hodie poteſt eſſe Calendarium Gregorianum, in vtramcunq; partem de eo agere velis apud imperitos. Quod ſi* κατὰ δόξαν *diſputes in ipſis ſcientijs, ſine ope* τάξεως *&* κρύψεως, *vt ſæpè facit Ariſtoteles,* ſcopus tunc eſt prẹparare animum diſcipuli dubitationibus. *Eſt enim ex vſu (ait Ariſt. 3. Metaph.) ijs, qui veritatis compotes eſſe volunt, benè dubitare: ſoluere autem vinculum nemo poteſt, qui nodum ignoret. Atq; ita Philop. dicit, Dialectici proprium eſſe, dubitare. Quo etiam fit, vt* ἐν γυμνασίᾳ κατὰ τοὺς λόγους, *Dialecticus ventilator,* λόγου χάριν *ſæpè negantem partem tueatur: Reſpondens affir-*

mantem. Dialecticus enim, vt ait Alex. pauca probat, multa tollit. Non dissimilis est ratio, si de fine agatur Rhetorices, quæ est altera πίστις πιστικὴ. Nam huic quoq; in materia ciuili, & quæstione definita, victoria potiùs & persuasio est proposita, *quàm veritas. Ita quidem Philoponus: Oratores, inquit, potiùs volunt* πείθειν *quàm* τἀληθῆ περιβάλλεσθαι. *Instruit enim & hæc ars* προηγουμένως *vtramque partem, suasorem, inquam, & dissuasorem: Accusatorem & defensorem: Laudatorem & vituperatorem. Docet id Arist. in Reth.* Aliarum quidem artium nulla est, quæ contraria argumentando colligat: Dialectica autem & Rhetorica solæ id faciunt: æquè enim sunt vtræque contrariorum. *Scopus igitur huius artis est* persuasio: finis eius assecutio, si hæc duo ex Gal. accuratè distinguenda sunt. Neque quisquam mihi decantatum istud, benè dicere, obijciat, præclarè enim dicit Auerroes: Neminem vti Rhetorica aut Dialectica secum, sed cum alio: quod isto fine, non satis exprimitur: Deinde ad rationem finis pertinet, terminare, non terminari: At benè dicere, terminatur à persuasione.

RE.

RESPONSIO AD CAPVT X.

TRES illæ veritatis, iustitiæ, & sapientiæ leges, in artibus à P. Ramo restauratæ, tres illæ machinæ sunt: quibus hostilem Peripateticorum vim solent à se repellere Ramei: quas cùm per habitas hucusq; dissertationes Peripateticus noster ipsis præripuisse sibi visus est: tandem cristas erigit: & idolum suum Apodicticum, in Lycęo periculorum securus omnium, solenni cum pompa sustollit. Videamus hoc igitur.

Sed ne forsan importuniùs, & illotis manibus in adyta mysterij se penetret: tùm etiam, quia *nusquam tuta fides est*, ne ab aduersarijs ex improuiso proruentibus opprimatur: ad perstringendos lectoris oculos, magnam veterum Philosophorum manum prudens præmittit: quorum viribus & ope fretus, illud è latebris erutum possit pristinæ suę cathedræ restituere. In qua rectè instruenda, morem videtur imitari Thrasonicum: cùm Galenum tanquam centurionem primarium collocet in acie prima, cum quadripartita sua distractione, de cuius vanitate suprà dixi. Platoni cum interpretum manipulo (inter quos est, nescio quis, Hieronymus: si Diuus ille: miror quid inter Prophetas Saulus!) medium adsignat locum. Aristotelem verò post principia

locat.

locat: vt, pugna si forsan ingruat, extra teli iactum sit positus. In hoc enim vno Philosophiæ Peripateticæ tota *domus inclinata recumbit*: vt Poëtæ verba sunt.

Quid adferunt hi omnes? apices syllabarum & voculas quasdam minutas hinc inde corrasit hic noster; quæ proculdubio sic exciderunt: vt illud, quod inde conatur elicere per chymiam suam Medicus, ne quidem dormitantib⁹ incidere potuerit. Attamen vtcunque presset illas, & ipsam Vulcani feruore fors extrahat essentiam quinctam: nihil amplius euincet: quàm quòd discrimen statuerint ipsi: inter propositiones necessariò veras: & inter contingentes, siue probabiles. Attestor hîc omnes quicunq; legerint hæc: & ad omnium prouoco sana iudicia: ecquid aliud extorquere possint ex auctoritatibus allegatis.

Ramus pariter distinxit inter propositiones necessarias, contingentes, sophistices: atq; Aristoteles.

Quis hoc vnquam negauit ex Rameis? Profer vnicum, si vir es Philosophus; qui vel vnica litera sibi in animum induxerit: hoc inter propositiones hasce discrimen tollere: vel saltem contra illud disputare. Nónne P. Ramus lib. 2. Dialect. cap. 3. sic inquit: *Axioma verum est contingens aut necessarium. Contingens* (ausculta: & aures adhibe: si quas habes.) *quando sic verum est: vt aliquando falsum esse posit: vt: audentes fortuna iuuat. Fac enim id hodie esse verum, cras falsum esse poterit. Itaq; veritatis huius contingentis iudicium* OPINIO (audi: & vide) *dicitur.*

Hoc-

Hoccine eſt κατὰ δόξαν: κατ᾽ ἔννοιαν: ἔνδοξον! *Neceſſarium eſt, quando ſemper verum eſt: nec falſum eſſe poteſt.* Et paulò pòſt: *Eiuſmodi axiomatum ita catholicorum iudicium veriſsima & prima* SCIENTIA *eſt.* Audi & iſtud; hoccine πρὸς ἀλήθειαν: ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σκοπεῖν? hoccine diſcrimen eſt inter opinionem & ſcientiam ſtatuère.

Hæc quamuis in multarum Germaniæ, Galliæ, & Angliæ ſcholarum ſint oculis: audet tamen impudentiſſimè calumniari Medicus; quòd Ramei, quos *nouos* adpellat *Stoicos, & omnis Philoſophiæ deprauatores,* diſcrimen illud inter probabiles & neceſſarias propoſitiones penitus obſcurauerint. Vide lector optime: Philoſophus hic eſt, in nobili Germaniæ Lycæo: quod antehac Rameorum quoſq; præſtantiſs., Dn. Freigium, Dn. Matth. Bergium, præceptorem Saxonicę iuuentutis in hac Philoſophia principem, & alios clementer fouit: & adhuc in gremio ſuo fouet haud dubiè multos, ex illorũ diſcipulis: adeò vt ignorare non poſſit, neq; debeat id: quod Ramus tàm clarè docet: attamen non eum pudet adeò portentoſi figmenti: contra clarum Rameæ logicæ textum: contra omnes omnium Rameorum libros: contra deniq; ſuum ipſius iudicem, ni fallor, internum.

Quàm verò durum: *Stoicos eſſe omnis Philoſophiæ deprauatores:* Aliter Cicero, & multi Philoſophorum primates ſentiunt: aliter etiam D. Hie-

D. Hieronymus: qui Stoicorum ſectam Chri-
ſtianæ religioni ſimilimam fuiſſe teſtis eſt.

Sed aueo ſcire: quid tandem ſit ſacrum il-
lud Palladium: profer quæſo: *Aio Apodicticen eſſe*

Apodictices definitio.

artem res contemplandi ἐκ τῶν ὑπαρχόντων *: organum*
philoſophandi πραγματικῶς *: artem* τοῦ διδάσκειν *: tra-*
dere πίστιν διδασκαλικὴν, *& rationes analogiſticas:*
artem tractandi res ἐπιστημονικῶς, δογματικῶς, *&*
ἀναλυτικῶς. Noſtíne plura: adde quęſo ἀληθῶς,
ἀκριβῶς, &c. *Contra Dialecticen & Rhetoricen, eſſe*
δυνάμεις *de rebus agendi* κατά δόξαν, γυμναστικῶς, λο-
γικῶς, κατ᾽ ἔννοιαν, *rationibus epilogiſticis, & tradere*
πειθὼ πιστικὴν. En habes, lector optime, Peri-
pateticæ ſapientiæ myſterium illud adoran-
dum: quod qui procidens in genua non ado-
rat, anathemate plectitur: motione, & exſilio
punitur. Hæc eſt Philoſophiæ medulla: quam
Ariſtoteles ſemper in ore, & oſſe habuit: hæc
opulentiſſima metalli vena, tot ſeculis con-
quiſita: ſed à nemine præterquam Ariſtotele
reperta.

Inepta definitio apodictices.

Sed vt ſeriò, & cum reuerentia rem adeò
ſanctam tractemus: quid ſibi volunt iſtæ ver-
borum & Græcorum dictionum ampullæ?
quid Apodictices definitiones quinq; cater-
uatim profuſæ? Plures ponere mos alioquin
ſolet eſſe finitiones: ſed eatenus duntaxat vt
poſterior priorem declaret. Hîc poſtremæ
tàm claræ: quàm primæ. Definitiones expli-
care dicuntur, quid res ſit: verbis igitur claris,
vel,

vel, vt vos calumniamini, popularibus, & Rhetoricis illæ proferendæ: Quid tu? rem obscuram per obscurissimos subtilitatis Aristotelicæ terminos obscuras. Æquè enim tirones nostri, quos curare vis hac definitione, sciunt: quid sit δογματικῶς ἐπιστημονικῶς, &c. atq; sciunt: quid sit apodicticè. Quid causæ quæso? cur tam speciosa nobis sapientiæ latifundia non aperis? Ecquid Margaritæ non obijciendæ porcis? Nimirum ducem tuum sequeris: qui sicuti libros acroamaticos, vt ipsemet ad Alexandrum regem scripsit, edidit, & non edidit: sic tua hæc apodixeos descriptio, est definitio non definitio, declarans non declarans, apodixin non apodixin. At inquies, explicui me posteà: videamus.

Prima inter Apodicticen & Dialecticen differentia est; *quòd finis Apodictices sit scientia, cuius energiæ sunt: contemplari: docere: Item veritas. Dialectices finis est opinio, fides, dubitatio: quæ est inter ignorantiam & scientiam media.* Quid censes optime lector? *Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus.* En hoc est illud subtile discrimen, quod *non quæuis ingenia possunt capere: quod plerosq; omnes latet.* Si discrimen intelligeres inter propositionem necessariam & opinabilem: in os tibi contradicerem Scherbi, Scabiei Medice: *Cap. 2.*
& ad oculum demonstraui tibi: quòd vel tirones Logicæ Rameæ cognoscant illud. Respice superiora, & conspicillum rationis adhibe.

Quia

Quia verò nunc demùm intelligo: te discrimen hoc voluisse: quod est inter artem Apodicticen & Dialecticen: cedo tibi: discrimen hoc nos non agnoscere: non quòd capere nequeamus: sed quòd nolimus.

Artem apodicticen à Dialectice distinctam non esse.

Sed audi Analytice præstantissime: quomodo sequitur hoc ex auctoribus superiùs allegatis: Philosophi distinguunt inter disputationes probabiles, & necessarias: Ergò duæ sunt rationem conformantes artes: Apodictice & Dialectice. O stupidos & crassos omnium seculorum Logicos! qui in arte rationis tantopere sudantes, vix vnicam partem illius, eamq; minimam reperire potuistis. Propositiones distinxere omnes in necessarias & contingentes: (de falsis enim non est hîc controuersia) Pleriq; etiam Syllogismum: in Apodicticum & Dialecticum: at artem disserendi qui distinxerit in Apodicticen & Dialecticen: preter nouos hosce Peripateticos, inuentus adhuc est nemo: neq; disertè probauerit hoc vnquam, vel ex ipso suo Duce Peripateticus hic noster. Quotquot vnquam fuere Logici ante Ramum Dialectices finem statuere veritatẽ, vel potiùs veri inquisitionem. Fecit id Cicero: Boëtius: Quintilianus: Rodolphus: Trapezontius: Valla: Sturmius: &, qui omnium potest esse loco, Dn. Philippus.

Sed videamus immobilia rationis fundamenta. Dialectices officium sine dubio est doce-

docere: contemplari: differere: ratiocinari: & generaliter vti ratione. Quam fit hoc ob causam? iudicate, quotquot estis in orbe toto literati. Cur contemplaris hanc rem? vt illius naturam & rationẽ, de qua dubito, vel quam prorsus ignoro, quantum possim, studiosè peruestigem, verè cognoscam. Cur disputas de hac quæstione? vt eius veritatem perscruter. Cur doces tuos discipulos Ethicam? vt ad verè honesti cognitionem eos deducam: Breuiter quicquid ratione discutimus: percunctamur: docemus: & discimus: id fit veritatis inquirendæ, docendæ, discendæq; gratia: vt, quid in qualibet re, in qualibet arte, scientia, negotio verum sit, aut falsum, cognoscere possimus. Infringe Peripatetice, si potes.

Veritas est finis omnis dissertationis, & contemplationis.

Hæc autem veritas contemplatione, vel disputatione conquisita: vel necessaria est: vt ei contradici non possit: vel probabilis; quæ quidem contradictionibus sit obnoxia: attamen in alterutram partem magis inclinet. Illa postea scientia: ista opinio dicitur. Veritatis igitur inquisitio, finis est omnis disputationis, & contemplationis: cuius causa laboramus: quam si non verissimam possumus inquirere: quid tum? si tamen probabilem peruestigauimus, certiores quàm antea sumus: & veritatis inquirendæ causa sudauimus: veri-

tatis studio tenemur: veriorem, quàm nobis fuit illa res antè sensum nacti sumus.

Qua Logica disputamus probabiliter: eadem necessarias propositiones tractamus.

Deinde qualiscunq; res illa sit, quam contemplamur; vel de qua disputamus: quibus id fit instrumentis? Primum argumentorum inuentione: deinde eorum dispositione; per propositiones & syllogismos. Si contempleris hanc quæstionem: an cœlum sit finitum: indagas in inuentione argumenta qualiacunque potes: indagata disponis, ex dispositione de veritate iudicas. Si disputes hanc; Ecquid iuramentum latroni, pro pecunia danda, vitæ redimendæ causa, præstitum, sit seruandum: peruestigas vndiquaq;, quidquid in vtramq; partem possit argumentorum adferri: disponis illa: & alia confirmando, alia verò refutando, omnia dijudicas. Vide lector: hîc contemplatio est: & disputatio: vt noster Peripateticus distinguit. Ecquid autem qua Dialectica contemplatus es, apodicticam quæstionem: non potes eadem disputare Dialecticam? Omninò: Vnam tradiderunt omnes Logici inuentionem argumentorum: vnam eorundem dispositionem. Quæ sunt argumenta in Apodicticis, illa sunt etiam in Dialecticis. Quæ forma est propositionis & syllogismi in Apodicticis: illa etiam est in Logicis. Rationis enim iudicium est vniforme. Dialectica est organum generale differendi, siue differamus res Apodicticas: siue Dialecticas. Hîc iterum

atteſtor omnes Logicos: ecquid alia differendi forma, & alijs inſtrumentis vtamur in contemplandis certis: alijs item in diſputandis incertis.

At, inquies, *erit tamen in materia diſcrimen.* In ſola materia diſcrimen eſt: quæ vel neceſſaria: vel probabilis. At inquam ego: num materia in Dialecticis tractanda: nonne Dialectica vna verſatur circa omnes materias ſiue neceſſarias: ſiue veras: ſiue falſas. Nónne Dialectica eſt à rebus abſtracta? cur igitur à rebus ſortietur diſtinctionem? *In materia differunt Apodictice & Dialectice.*

Sed eſto in materia. Iam hoc primum etiam mihi perpende. Nihil eſt in rerum natura adeò certũ: quod dubitationibus ſcrupuloſis, vel à curioſis admodum, vel petulantibus ingenijs incertum, & dubitationi non reddi poſſit obnoxium. Dubitatio ſi ſurgat: quęſtio menti n̄oſtrę obijcitur. Quam vel ipſa mens ſecum diſputat: vel cum alio: ſi veritatis inquirendæ ſtudio tenetur. Quacunq; demum ratione diſputet illam: quanam Logica vtitur Apodictica, vel Dialectica? Apodictica non poteſt vti: quia res eſt diſputatori incerta, dubia. Dialectica igitur arte quæſtionem pertractat. At quomodo Dialectica? ſi ex vndiq; diſſertatis opinionibus tandem ſequatur veritas neceſſaria?

Sed quid hîc laboro? ipſimet Subiectum Dialecticæ in genere acceptę ponitis quæſtio-

nem dubiam: de cuius natura & veritate quæratur. Vt *quid sit cœlum: an cœlum sit infinitum:* Omnis itaq; disputatio, & contemplatio est in dubijs. Hoc etiam ex fine Logices sequitur necessariò: qui est veritatis inuestigatio. Qui veritatis vel probabilitatis adquirendæ causa disputat: is vtiq; dubitat de probabilitate & veritate: vel saltem tanquam dubiam quæstionem sibi proponit, quam docendo confirmet. Si enim iam sciret, & probaret: quid opus, vt adquireret id, quod haberet? Frustraneus & inutilis hic labor esset.

Quòd cum necessariò ponendum sit: dic quæso mihi sublimis Peripatetice: quicunq; disputat, siue secum: siue cum alio, ex quanam Logices specie disputat? Quomodo constare potest hoc cuiquam, cui dubia est quæstio: ecquid necessariam veritatem, vel probabilem saltem sit inuenturus? Verte te quocunq; volueris: & nostram scabe scabiem, quacunq; libuerit; nunquam hîc euades mihi. Si diuersæ sunt artes, quarum illa adquiritur veritas: ista verò probabilitas: vtra debet vti: dubitans, & disputare cupiens? Repetantur duæ quæstiones superiùs propositæ: *Ecquid cœlum sit infinitum? Ecquid latroni iuramentum seruandum?* Hîc cùm disputans æquè velit certus esse de ista: quàm de illa: quid aget? Veritatem cupit ipsam inquirere: quantùm potest. Si igitur summo contendat inquirendæ veritatis studio,

dio, & omnibus ingenij viribus disceptet vtramq;: ex ijsdem rationis & vsus principijs: per argumenta logica eadem, quæcunq; potest inuenire; iudicio pari firmata: Disceptatis autem vndiquaq; omnibus veritatem adsequitur: quæ in illa est certa: in hac verò saltem probabilis: Tu mihi dicito, qua disceptandi arte disputator hic vsus sit. Apodicticè dicendum: quia veritatem ipsam conatus est inuenire: non opinionem. Cur igitur in exemplo posteriore præit opinio? Si Apodixis est ars inueniendi scientiam: cur illa non sequitur æquè in hac, atq; in illa, vbiq; pari diligentia adhibita? Dialectica autem non est vsus arte: quia finis ipsius est ipsissimam veritatem inuestigare: quam in priori exemplo repetit. Multò minus vsus est Apodictica in priore, Dialectica verò in posteriore: quia discriminis huius ignarus idem vtrobique filum secutus est, quocunque vis ingenij inter inueniendum flexit, & iudicandum. Et quî potuisset vti distinctis his: si nesciret in vtra veritas aut opinio foret? Modus igitur & ars disputandi, nec Apodictica, nec Dialectica: sed iudicium ex disputandi arte conformatum est Apodicticum, vel Dialecticum: vt sic omne tendat eò: nunquid propositio sit necessaria vel contingens. Et hoc in vna Apodixeos, vt hic noster somniat, Energia, contemplatione scilicet, certò certiùs.

In docente, dicat aliquis aliam rationem esse: cùm, qui docet, rei docendæ cognitionem habeat: ecquid certa sit eius veritas, vel opinione fluctuans: ita vt hîc certam quæstionem proponat ex arte Apodictica, incertam ex Dialectica. Sit sanè. Sed nunc ostende, inquam, mihi discrimen inter Apodicticam docendi artem: & inter Dialecticam disputandi. Qui docet rem certissimam, attamen discipulis ignotam: is definit, diuidit, causas inquirit: effecta ostendit; subiecta prodit: adiuncta subiungit: contraria refellit. Nónne qui docet rem opinionibus subiectam, vt vnam ex his faciat magis probabilem: similiter definit: diuidit: causas inquirit, effecta, subiecta, adiuncta, cognata monstrat: & illi opinioni aduersa refutat. Eadem sunt hîc instrumenta eiusdem artis. Cur igitur non idem finis sequitur: cur ibi scientia gignitur: hîc opinio? Facit hoc materia: cuius ibi clara definitio, diuisio, causæ, effecta, &c. hîc verò omnia obscura, dubia, & perplexa. Instrumenta igitur vbiq; sunt eadem: idem conatus: finis: disputandi modus: at res tractata facit sola differentiam: quæ cùm in priore quæstione sit expedita; gignit veritatem expeditam, quæ dicitur scientia: in posteriore verò cùm sit perplexitatibus impedita; saltem probabilem parit opinionem. Vtrobiq; est studium inuestigandi veritatem: quod autem alibi maiorem offendit

Cur modò scientia, modò probabilis tantum opinio nascatur ex Disputatione.

veri-

veritatis lucem: id in rebus est, non in arte positum.

Quemadmodum igitur Architectus ex firmo & solido ligno, firmas exstruere potest ædes, aduersus tempestates ingruentes stabiles: ex putrido verò & fragili ligno, quamuis ad vnguem eandem formam seruet: ijsdem instrumentis, & ministris vtatur, firmas ædes exstruere nequit: sed quas facilè tempestate suborta disijci subuertiq; contingat: Sic etiam Logicus è vera materia, verissimas: è dubia, non nisi dubias construit propositiones. Sic omnis artifex ex bona materia bonum opus; è praua prauum exstruit: etsi tenor artificij per omnia sit idem adhibitus vbiq;.

Quæ cùm sint ita clara; nihil vt vnquam clarius, à P. Ramo, & alijs demonstratum: tanta tamẽ est huius Peripatetici ferocia: tanta pertinacia: vt illud stupidum figmentum, tanquam Philosophiæ secretum mysterium conetur animis studiosorũ instillare; quod ita patet euanidum, & stultum: *vt non dubitem* (nosce tua verba) *causam multarum ineptiarum, quæ libros logicos oppresserunt, huius rei ignorationi adscribere.*

Finis igitur disserendi est vnicus, Veritas: Forma vnica, in inuentione argumentorum & dispositione, per Axioma & syllogismum; materia verò diuersa: quæ cùm in Logica doceri non debeat: exinde nec Dialecticæ spe-

cies fingendæ. Apodictica, & Dialectica, vel scientia & opinio, sunt distinctæ species: non Dialecticæ artis vel facultatis differendi: sed iudicij ex disputatione producti. Hæc est Rameorum, vera, solida, constansq; doctrina. Sed audiamus quid obganniat Peripateticus ampliùs?

Dialecticæ disputatricis finẽ esse veritatem.

Dialecticæ finis non est veritas. Proba. *Dicit Alex. & Aristoteles.* Nihil dicis, adfer rationem? *Quî posset Dialecticus esse veritatis inuestigator: cùm per se in vtramq; partem disputet: non minùs est Dialecticus respondens quàm interrogans: immò cùm is accipiat suas rationes ab opinione, sæpissimè violat veritatem.* Proh hominum fidem: quis eiusmodi nugarũ portenta protulit vnquam? Primùm quæro ex te bone vir: Dialecticam disputationum exercitio, quod inter opponentem siue interrogantem, & respondẽtem frequens est hodiè, cur adsignas: vt alibi Dialectices non sit vsus? Soli disputantes inter se Dialectices ope nituntur? & hoc ab Apodictica differt? Quid igitur est contemplari? nónne cùm mens per διάνοιαν sibi quæstionem proponit, quam secum ipsa differit, obijciendo sibi rationes: & easdem refutando: nónne mens secum ipsa dissentit: nónne deliberat; vtrum verum vel falsum: honestum vel inhonestum; vtile vel inutile? Quid diuinus ille Plato; ἡ διάνοια αὐτῆς πρὸς ἑαυτὴν ψυχῆς διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος. Ita profectò: contemplatio est ipsa

Disputat etiam qui contemplatur.

ipsa quoq; disputatio: in eo tantùm differens ab disputatione vulgari: quòd sermo cogitatus, differt à prolato. Illa fit sine sermone, vt Plato; hæc verò cum sermone. Immò contemplatio est ipsissima disputatio. Quid enim disputamus verbis? quæ mente contemplati sumus. Nulla disputatio fit verbis; quę nō reipsa primū fuit mente concepta. Quid verò est docere? nónne qui docet, disputat? nónne prolepsibus occurrit omnibus? nónne quiduis, quod excogitare potest sibi contrarium, studiosè producit, & curiosè refellit? quid hîc interest? nisi quòd ipse interrogantis personam sustineat. Quid igitur adfert hic Peripateticus: *Disputationem esse duntaxat inter interrogantem & respondentem.* Rectè. Nam etiā in contemplando mens sibi fingit contemplantem, tacitè cui respondet; cuius interrogationes producit, easq; refutat. Quid igitur differt disputatio tua Dialectica ab altera: quam Apodicticæ tribuis? Nihil omninò si rem dispiciamus ipsam. Nam hîc etiam sunt, qui interrogant: sunt qui respondent.

Contemplatio reipsa nihil à disputatione differt.

Docere est disputare.

Deinde quęro, si Dialecticę datur duntaxat disputationis exercitio: ea si Dialectica *nemo vtitur secum, sed cum alio*: vt disertè confiteris: quò vis amandare tacitas contemplationes mentis, de reb. dubijs, & incertis: quibus nihil mens humana frequentiùs agitat: quò item referes; si quis de re dubia probabiliter a-

liquem doceat? Hi enim non disputant: nisi pro mea sententia disputationem accipias. Nec etiam Apodixi vtuntur: quia dubia sunt, & incerta, quæ docent, vel contemplantur. Nec etiam Sophistice: quia probabiliter disceptant secum tacitè; vel publicè coram auditoribus. Quid hîc fiet Peripatetice: teneo te? Si Dialecticam vsurpant hi: cadet tua Dialecticæ definitio, quam soli colloquio destinâsti.

Hæc si primùm expediueris: posteà peto mihi consequentiam monstres tui argumenti: *Dialecticus non inuestigat veritatem: quia disputat in partem vtramq;.* Quòd æquè sit veritatis inuestigator, atq; Apodicticus: id antè monstraui satis. Quòdq; disputatio illa in vtramq; partem sit vnica ferè veritatis inuestigandæ via docent omnes in orbe præter te literati. Tritum est illud, quod etiam magno Scaligero placuit: *sicut collisione silicis & ferri prolicitur ignis: sic ex disputatione in partem vtramq; veritas. Contraria iuxta se posita magis elucescunt:* est vestra regula. Quando igitur magis elucescit veritas: quàm, cùm falsitas, vel quæ speciem veri habent ipsi adponuntur? Si veritas in profundo latet; quæ, proh hominum fidem! melior inuestigandæ illius via: quàm si vnus, in oppugnando eam, laboret: alter verò tantò maiorem diligentiam adhibeat: tantò penitiùs in eius rei naturam se penetret: vt oppu-

Disputationum finis ecquid veritas.

oppu-

oppugnantis tela ſolidi repellat. Nónne veritas ſic ſit illuſtrior, ſi quaſuis machinas interrogans vel opponens adhibens tandem repulſus cedere cogatur? Quæ verò res in omni litteratura meliùs ſunt diſcuſſæ & rectiùs enucleatæ: quàm quę doctorum contrarijs diſceptationibus in controuerſiam vocatæ ſunt.

Attamen hic medicus noſter, veritatis indagatores nō eſſe diſputantes: immò quòd *ſæpiſſimè violent veritatem*, rabiosè clamitat. Turpiſſimus error ſiue ſeria; ſiue gymnaſtica ſit diſputatio. Seria enim ſi ſit: ſi quis ſtudio veritatis inquirendæ moueat id, quod falſum eſt; ipſe verò quodam ſeductus errore verum putet: non ita violatur veritas: licèt grauetur ad tempus: ſed tandem refutatis erroribus triumphat: & eum, qui contraria protulit, ad ſui ſtudium pertrahit: niſi ſophiſta ſit: de quo hîc non agitur. Si verò ſit exercitij cauſa diſputatio inſtituta: illáne, quæ ſui & reſpondentis exercendi cauſa ſuſtinet aliquandiu falſas opiniones, ſub ficta perſona aduerſarij: illáne veritatem violat? Cur igitur, omnium Academiarum & ſcholarum pręſides, cur non profligatis diſputationis exercitium: ſi veritatem non veſtigat: ſed eandem violat?

Quid verò: ſi res Apodicticæ vocentur in diſputationem: quo nihil in Academijs hodie frequentius? Nónne diſputantur hæ in par-

tem

tem vtramq; : nónne sua sæpè ab opinione sumit epichiremata opponens?

Deniq; licèt in disputationibus de rebus dubijs exquisita veritas obtineri præ rerum non possit obscuritate: si tamen quod probabilius est inuenitur, nónne veri est indagatio quæsita? Responde: *Obtinetur interdum verum, sed tunc solummodò: si disputatio constet ex peruulgatissimis ac receptissimis propositionibus, & simul etiam ab respondente concessis, vel non quidem peruulgatissimis ab respondente tamen concessis: vel deniq, quarum quasdam interrogator acceperit ab respondente: quasdam ipse addiderit: hæc tamē sint etiam digna concessione.* Vide, mi lector, & ride somnia: Peripatetici cerebri phantasmata. Disputationem veram nos dicimus: si, quod vel exquisitè verum est, ex principijs immobilibus est obtentum: vel, quod præ alijs est magis verum, vel vero magis consonum, ex probabilibus argumentis obseruatum. Hîc verò veritatem metitur ad opiniones vulgi, & concessionem Respondentis: vt verum sit: quod peruulgatissimum est & ab respondente concessum. Quid igitur: si Respondens præ pertinacia nihil concesserit: vel præ stultitia quælibet, etiam falsissima: idcircò illud falsum erit, quod non concessum: hoc verum, quod concessum? Quis vnquam stultiora quæso vidit, vel audiuit?

Vera disputatio quæ?

Sed quis tandem fructus futilis tuæ disputatiun-

tatiun-

tatiunculæ? *vt ἔνδοξα, quæ interdum falſa, & non entia ſunt, veritatis nomine vulgò ornentur: vtq; dubitatio poßit ex ijs excitari.* Quid iſtac igitur opus arte, quæ falſa veritatis ornat ſpecie: quæ dubitationem excitat? pudeat te tantæ mollitiei, ne dicam malitiæ! quòd artem eiuſmodi diſcentibus obtrudis: quæ falſum venditat ſub veri nomine: & tantùm dubitationes inducit. Pontificijs fortaſſe ſeruire poſſet: vt de ſtatu ſalutis ſuę ſemper dubitare poſſent eò meliùs. Nobis illam nolumus: nos ideò Dialecticam diſcimus, & Diſputationes inſtituimus: vt illi perſonatæ veritati poſſint exuuiæ detrahi: & ſi quæ nobis inciderint dubitationes, re meliùs perpenſa tolli.

Finis Peripateticæ Diſputationis: Dubitatio.

Tu lector iudica; finis vter noſtrorum ſit melior. Si finis eſt vobis dubitatio: quod ſuprà etiam dixiſti: quid quæſo reportatis ex diſputatione veſtra; ſi, cùm de re dubia diſputationem inſtituiſtis, præter dubitationes nihil inde fructuum capitis? ſuperſedete iſtoc labore: quid vos maceratis? Quid eſt abſurdius quęſo: de re dubia diſputare: vt dubitationem poſſis inde adquirere? Nimirum *dato vno inconuenienti ſequuntur infinita.* Hic fructus eſt inſanæ ſeruitutis veſtræ! qua cuiuis Ariſtotelis, & multò magis interpretum ſomno, fidem datis.

At Philoponus ait: *Proprium Dialectici eſſe dubitare.* Quid ſi dicat idem: Cras cœlum ruet. Túne

Túne credes tuo domino? Nos dicimus contrarium: proprium Dialectici eſſe benè de rebus diſſerere: & benè diſſerendo, dubitationes ex animis hominum depellere: veritatem demonſtrare. Tu iudica, lector optime, quis ſaniora dixerit.

Rhetoricæ finem eſſe perſuadere: nō propriè veritas.

Sed Dialecticæ ſociaras ante Rhetoricen, quid cauſæ? *quia huic etiam perſuaſio potiùs eſt propoſita: quàm veritas.* De Perſuaſione, quàm falsò ſit Rhetoricæ finis tributus, poſteà dicetur. Hîc illud ex te quæro: quomodo perſuadere poſſit Orator rem ſuis auditoribus? nónne ſi faciat illam varijs probabilem, vel etiam planè certam argumentis? Ecquid, falſum quod eſt, perſuadet? non credo niſi ſtupidi ſint homines, & inepti; qui ſibi quiduis perſuaderi patiantur. Perſuaſum igitur habent illud ſibi de quo tam probabilibus diſſeruere Rhetores argumentis: vt ita ſe rem habere certò ſecum ſtatuant. Verum igitur, vel ſaltem quod vero conſonum ſit, omnimodò ſpectare debent; vt perſuaſionem obtinere queant.

Quàm verò Philoſophicum ſit hoc: *Orator potiùs perſuaſionem ſibi proponere debet: quàm veritatem:* perpendat æquus rerũ æſtimator. Quid enim hoc eſt aliud: quàm ſi dicat: Nihil intereſt qualibuſcunq; ſermonis illecebris vtatur aliquis, & falſas ac ementitas adferat inſtituti ſui rationes: dummodò perſuadeat. At ſi Orator eſt vir bonus: vt eum princeps orato-

rum

tum definit: certè non nisi vera persuadere conabitur. Abusus ille Rhetorices est exsecrandus, ne ignores: non de veritate & iustitia causæ: sed persuasione, quibuscunque id fiat technis, obtinenda, solicitum fuisse. Si dixisset illud Cicero: ferendum fortè: Philosophus autem probans illud: enormiter rempub. lædit: & rabularum forensium peruicaciam confirmat.

Et hactenus hanc etiam futilitatem vidimus in vano vagoq; discrimine artis Apodictices à Dialectica: quod, exceptis axiomatum adfectionibus, alibi nusquam est vsui: nec ab alijs, quàm Peripateticorum commentatoribus ex Aristotele contortum. Adeò vt Dn. Philip. lib. 4. Dialect. illa de causa motus, *olim quidem dicat obtinuisse: sed hodie doctrinam de demonstrationibus esse Dialecticæ partem.* Tu igitur in hunc etiam referendus album fueris, illorum Præceptor venerande; qui *noui Stoici*, & *Philosophiæ deprauatores* ab hoc Peripatetico satis duriter allatrantur. Disertis enim & ipse verbis istud obliterare discrimen voluisti.

Videat autem candidus hic lector huius hominis nimis immodicum, defensandi Aristotelicorum phantasmata quæuis, studium: Siquidem discrimini huic, cuius est luce meridiana vanitas clarior, & vsus omninò nullus, tantùm sapientiæ contribuit: vt ipse turgidus ea, vix se continere queat: quia planè

diru m-

diſrumpat. Audet enim ſuperbiſſimè gloriari: quòd *Millibus è multis vix vnum reperias qui* (Sic enim verſus ipſi profluit non aduertenti, furore forſan poëtico repleto: ſi diplaſiaſmus Poëtis frequens in vna duntaxat ſyllaba ponatur) ſit Analyticus, ſeu Philoſophus: pleriq; omnes Dialectici tantùm, & Opinatores. Tu igitur in omni Germania ſolus eris Philoſophus: ſiquidem non arbitror, ſi reuocemus ad vnam omnes, in omnibus Academijs, Philoſophiæ profeſſores, ſummam, vltra duo millia numerari poſſe; qui tamen vix ſatis erit numerus, vt in multis millibus verificari queat. O arrogantia! ô admiratio, & adoratio nugarum ſtultiſſima!

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XI.
Aliud diſcrimen ex medijs.

I*Am ſi media conſideres, quibus ad ſuam quæq; finem contendat, illa non minùs inter ſe differunt. Apodicticus iubet* vti principijs cuique ſcientiæ proprijs, *vt Geometrica doceantur Geometricè, Phyſica phyſicè, Politica politicè, tanquam in ſenſibus, vt de ſaporibus iudicet guſtus, de coloribus, viſus, de ſonis, auditus:* ἐκ γὰρ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀνάγκη τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι. *Item,* ἀνάγκη τὸ μέσον ἐν τῇ αὐτῇ

συγγε-

συγγενείᾳ εἶναι). *Item*, συγγενῆ δεῖ εἶναι τοῖς πρώτοις. *Atque hoc quidem est*, σκοπεῖν τι ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, *siue*, φιλοσοφεῖν πραγματικῶς. *Stultum autem est putare omnes terminos demonstrationis tunc esse in eodem genere, cùm sunt in eâdem categoria. An non* τὸ ζητούμενον *in primaria demonstratione interdum est* δύναμις *aliqua, interdum* ἐνέργεια, *aut eius priuatio, interdum* διάθεσις? *At subiectum genus in Physicis est substantia: Causa nunc in his, nunc in illis categorijs est.* Eiusdem est fatuitatis, *scientias pro ratione categoriarum distribuere.* Cùm autem propositiones eiusmodi sint epistemonicæ: id tamen discrimen in illis est, quòd Mathematica veras causas non habent: *vnde eorum principia sunt similitudine tantùm principia, vt ait Aristoteles:* quoniam ab ijs demonstrationes lucem (non causam τῆς ὑπάρξεως) acquirunt: Physici autem veras causas docere possunt. *Itaque in Mathematicis, Notius, quod est demonstrationis principium, non est causa vera, sed definitio, qualiscunque ea sit, & propositio immediata, qua nixus Mathematicus de numeris & magnitudine, cæterisque id genus demonstrat accidentia propria, ordine quodam*

seruato. Præterea in Physicis euidens illud, à quo ortum habet demonstratio, est accidens: At verò in Mathematicis, vt diximus, est definitio aut propositio immediata. Vnde Themistius ait, Mathematicos ex definitionibus facilè in notitiam accidentium venire: at verò Physicos ex accidentibus ad definitionem. De Physicis autem demonstrationibus & causis, vt tironibus res sit magis perspicua, sciendum, causas aliquando esse ignotas, aliquando notas. *Quòd si sint ignotæ, ex accidenti aliquo ostenduntur ὅτι ἔστι, simulq; ostenditur, cur sit is effectus. Atq; id est illud nobis notum, naturâ posterius:* quod est omnium demonstrationum futurarum principium. *Causis verò ita ab euidenti aliquo cognitis, accidentia alia ostenduntur, ignota ὅτι ἔστι, & διότι ἔστι:* Atque hoc est alterum demonstrationis genus. Et vtrumq; est vera demonstratio: quoniam à notioribus & primis vtraq; procedit, & vtraque causam docet. *Verbi gratia: Ex Ecclipsi primùm causam ostendimus cur sit, scilicet terræ interpositionem, & quòd sit terræ interpositio. Ex hac rursus ostendimus, terram vmbram facere pyramidalem: In quo secundo*

syllo-

syllogismo causa, quæ est terræ interpositio, notior est tum nobis, tum suapte natura, quàm sit umbra illa, causa scilicet, quàm effectus. Ita ab euidenti aliquo cognosco dari ignem subterraneum, euidentis illius symptomatis causam: quo constituto postea ad multa alia progredior: Quemadmodum in communi vita, consilijs tandem clandestinis cognitis, multa alia patefiunt, quæ antea minus animaduertebantur. Neque quicquam decedit sententiæ illi, qua statuitur, Notitiam omnem à notioribus nobis proficisci. *Nam de principio illo omnium primo, id est intelligendum: id enim oportet euidens quippiam sit: progressu autem demonstrationis à notioribus, prioribusque tum nobis, tum naturâ licet inchoare.* Ex ijs autem, quæ suprà diximus, intelligimus, Græcorum discrimen inter syllogismos Dialecticos & Apodicticos *(quòd Dialectici tantùm habeant causam* τοῦ πράγματος*)* pertinere inprimis ad apodixes Physicorum. *Hæc breuiter de propositionibus epistemonicis, et maximè de Physicis. Considerenus iam Dialectices principia, quæ non sunt propria, sed potiùs communes et receptæ propositiones, ac* λόγοι ἐξωτερικοὶ, *extra genus* ὑποκείμενον, Dialectica.

tanquam si tu de dulcedine iudicares, vel visu vel auditu, eaq; oportet etiam à respondente sint concessæ. Vnde in Dialogis ita rogare solent: Videtúrne tibi causatum respondere suis causis? At huiusmodi propositionibus interdum accidere potest, vt sint propriæ: accidere etiam potest, vt sint veræ. *Audiamus Alexandrum: verum inquit differt ab* ἐνδόξῳ, *non quidem quòd* τὸ ἔνδοξον *sit falsum, sed comparatione. Nam verum dijudicatur à re, de qua agitur. Quando enim ei adæquatur, verum est:* ἔνδοξον *autem, non ex re æstimatur, sed ex auditoribus* eorumque opinionibus, quas de talibus rebus animo iam comprehensas tenent. *Itaq; mensura Apodictici est extrà, res scilicet cognoscendi, siue principia ex ea deducta: intellectus autem est mensuratum.* Dialectici verò mensura est intrà, intellectus scilicet, siue δοξαστικαὶ προτάσεις, iam antè à nobis comprehensæ: res verò est mensuratum. *Non enim solùm vt amamus, ita iudicamus, sed etiam vt opinamur. Quamobrem non rectè videntur illi rem assequi,* qui τὰ ἔνδοξα latinè reddunt probabilia, eaq; rebus circumfusa esse putant: veritatem autem, quam Philo-

Philosophus quęrat, tanquam quandam medullam intus inclusam. *Ita enim potiùs habendum. Haurimus ab rebus aliquibus propositiones, quæ in ijs veræ sunt. Verbi gratia:* Qualis causa, talis effectus: hoc verum animaduerti, in non paucis causis efficientibus. Transfero iam id ad morbos, & quia causæ quædam morborum totâ substantiâ in corpus agunt, *propositionem istam quam dixi, interrogo: quâ concessâ, contendo esse etiam morbos aliquos totius substantiæ. Ita contrà: An non: Qualis effectus, talis eius causa? sanè. Ergò sine dubitatione etiam, Sol erit calidus. Quid?* An non quæq; res oportet priùs sit, quàm vsurpetur? *Ita. Hoc enim video in omnibus artificum operibus.* Ergò & verba priùs fuerunt, quàm eorum vsus. *Ex quibus quidem apertè videre licet, quid sit* ἐνδόξως *disputare. Non enim* ἔνδοξα *rebus circumfusa sunt, vt aiunt,* sed ex nostro potiùs promptuario *primùm illa afferuntur, & propositæ rei, aut eius accidentibus deinde applicantur. Ex hoc autem intelligitur etiam, cur Auerroës dixerit,* Dialecticas propositiones magna ex parte veras, in paucis tamen falsas: So-

phisticas autem magna ex parte falsas, in paucis tamen quibusdam veras. *Intelligitur etiam, cur in extremo secundi Top. ponatur hic locus. Si ex parte inest, etiam omninò inest: qui insignis quoque est inter Sophisticos. Apodicticus verò (exceptis quibusdam Axiomatis)* non secum domo ex suo promptuario propositiones ex alijs rebus collectas affert, sed ex naturâ rei subiectæ eas educit. *Hinc seuerè præcipitur in Analyticis,* ne migremus principia. *Quia autem istiusmodi communibus pugnat Dialecticus, propterea vnum ex eis organis est collectio propositionum peruulgatarũ & auctoritatum: ostendunturque ei* παραγγέλματα *&* τόποι, *tanquam occasiones quædam* τῶν ἐπιχειρημάτων. *Ad problemata quidem omnia* περὶ τοῦ ἁπλῶς ὑπάρχειν, *inuentio, qualem libri Dialecticorum vulgò promittunt (quando, inquam, non quæritur, an aliquid alterius genus, aut proprium aut definitio sit) tradita est ei 2. lib. Topicorum. Cùm autem comparatè quæritur, An hoc isto sit præstantius, comprehensa est ea libro tertio. Nullam tamen videmus ei attributam theoriam causarũ: quia causas contemplari, Philosophi proprium est: superat* γυμναστικήν. *Vnde Dialecticus*

lecticus syllogismus dicitur tantùm principium cognitionis, non rei. Et Philoponus rectè docet, δόξαν nescire causam: qui etiam alibi ait, Dialecticum causam formalem quidem considerare, verùm non vt causam, sed vt rem declaret. Quin Simplicius etiam tertio de anima docet, prudentum esse notitiam practicam cum causa: scientiam verò theoreticam cum causa: at verò ancipitem esse, atque in vtroque genere opinionem, vtrobique causæ expertem. Quòd si Dialecticus causam τῆς ὑπάρξεως, vt Analyticus, consideraret, sanè quæstio causæ posset esse quæstio Dialectica: quod clarissimis verbis negat Alex. 4. Top. Videmus etiam in Analyticis, syllogismum à causa antecedente & communi, inter demonstrationes locum inuenire. Ergò, vt de historia præclarè dicit Polybius, Si ab ea auferantur causæ, eam ἀγώνισμα fore, non μάθημα. ita idem nos de γυμναστικῇ, quæ est tantùm ἀγώνισμα ne ea μάθημα fiat, & λόγος διδασκαλικὸς, omittendas esse causas. Quòd si quis dicat, esse in Top. locũ ἀπὸ τῶν ποιητικῶν καὶ φθαρτικῶν, is si attendat, videbit, valere eum quidẽ ad bonitatẽ rei probandam aut refutandam, non autẽ ad ὕπαρξιν, quæ est analytica causarũ πραγματεία. Id quod

ex eo etiam patet, quia quæstio in hunc modum confirmata, Quæ nam est causa æstus maris? ne quidẽ Dialectica est, cùm ad eã non poßit responderi Ita, aut Non. Ex his autẽ colligi potest, in σοφιστικῇ *(quæ propriè contraria opponitur* τῇ διαλεκτικῇ, *ut* ψευδογραφικὴ, τῇ ἀναλυτικῇ) τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι, *non esse intelligendum, de falsa* τοῦ πράγματος *causa, sed de falsa causa conclusionis in syllogismis* διὰ τοῦ ἀδυνάτου. *Nam ut annotat Alex. est idem vitium hoc, cum eo, quod in prioribus Analyticis vocatur,* τὸ μὴ παρὰ τοῦτο: *quando scilicet ex alio aliquo extrinsecus assumpto,* ἀδύνατον *aliquod nascitur, non autem ex proposita sententia, de qua certatur. Vnde in 2. Elench. vocatur* πρόσθεσις τινός: ὅσοι, *inquit,* παρὰ τὸ προστιθέναι τι συλλογίζονται. *Oratori quidem, qui cæteroquin minùs firmis vtitur, quàm Dialecticus, attributus est locus causarum 2. Rhetoricorum: fortaßis, quia versatur* is in materia ciuili & notiori, *& spectat fortunam, locum, tempus, personam: in quibus de rebus singularibus causæ non ita fugiunt auditorem popularem. Quoniam enim Rhetorica ministra est ciuilis scientiæ,* Dialectica autem magis adhibetur ad rerum cognitionem: & causæ in theo-

reticis

reticis ſunt extrà in rebus: in politicis verò oriuntur à nobis, mirum non eſt, ſi homines etiam plebei, cauſas tales facilè poſſint comprehendere. *Vnde fucatum Enthymema, à non cauſa, vt cauſa, in Rhet. eo ſenſu accipitur, quo plerique omnes tradiderunt: non autem, quomodo in Sophiſticis Elenchis intelligendum diximus. Eſſe autem Dialecticos ſyllogiſmos*, tantùm cognitionis ſiue concluſionis cauſas, non τοῦ πράγματος, videamus in paucis quibuſdam γυμνασίας χάριν. *Ergò, ſi quid probare inſtituas per definitionem Dialecticam & eſſentialem, (non cauſalem) ſiue ea vera ſit, ſiue tantùm ἔνδοξος de ſententia Ariſtotelis poſtulas id ipſum, quod in quæſtione eſt. Definitio enim & definitum ſunt numero idem: quo fit, vt qui de definito aliquid negat, is idem de definitione quoque ſit negaturus. Qui negat Phyſicam vtilem rebus humanis, is etiam contemplationem rerum naturalium negabit vtilem. Sed quia differunt definitum & definitio modo cognitionis, qui definitione vtitur, notiori propoſitione vtitur, & principium affert cognitionis, non rei. Ad eundem modum, ſi de ſpecie quid probes per genus, plus quàm principiũ petis, quippe*

qui assumpto genere & de proposita specie, & de cæteris, id tibi velis concedi, quod quæritur. Aliud autem est, cùm genus non vt totũ quiddam, & commune consideratur, sed vt essentiale principium speciei. Quæ distinctio subtilior est, quàm vt in γυμναστικῷ cadat. Eodẽ modo si per speciẽ confirmes aliquid de genere, ex parte petis principium. Idem docet de partibus & toto, Alex. in Sophist. Qui, inquit, probat locum esse, quia sit sursum & deorsum, antè & & pòst, dextrum & sinistrum, sumit ἀναποδείκτως quod erat probandum: Quatenus tamen notiori vtitur, cognitionis syllogismum affert. Par ratio est contrariorum. Neq; enim qui confirmat Philosophiam plurimorũ bonorum auctorem esse, quia ex ἀγνοίᾳ καλὰ διάθεσιν, plurima mala in Remp. redundent, causam affert suæ attributionis: lucẽ tamen quæstioni affert. Quomodo etiam apud Mathematicos, cùm duæ lineæ inter se æquales esse dicuntur, quia vni tertiæ sint æquales. Neq; enim tertia illa est causa, cur duæ istæ sint inter se æquales: etsi sit causa cognitionis. Idem tu periculum iam fac in cæteris: vt paulatim discamus, quid differant Apodictica à Gymnasticis, Oratorijs, & Epidicticis Sophistarum. Iam Oratorum epichiremata

sunt

sunt propriè ea, quæ dicuntur πιθανά. *Est autem* πιθανὸν ἔνδοξον *quoddam, scil. quod aut omnibus aut plerisq; ita videtur in rebus ciuilibus. Cùm itaq; Rhetorica dicitur* παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς, *id nō tantùm intelligimus propter enthymemata & exempla, sed etiam aliquo modo propter* τὰ πιθανά, *eorumq; inuentionē. Nam effata* ἀνασκευαστικὰ *et* κατασκευαστικὰ *vniuersè sunt exposita 2. Top. At quæ propriè de vtili & damnoso, iusto & iniustò, honesto et turpi, id est, de ijs, quæ sunt ciuilis scientiæ, vulgò vel pro confessis habentur, vel ex ijs deducuntur, tradita sunt primo Rhet. Ibidem riuuli quoq; comparationū ex fontibus tertij topicorum deriuati sunt, nō solùm vtiles oratoribus, sed planè necessarij, quicquid* καθολικοὶ *nouorum subselliorum Philosophi dicant. Quantò autem infirmiora sunt oratorum* πιθανὰ *(excipio* τεκμήρια*) Dialecticorū multiplici genere* ἐνδόξων, *tantò plura sibi subsidio comparant, quibus illam infirmitatem subleuent, & compensent, commotiones scilicet animorum, orationem moratam, elocutionem, actionem: quæ nihil, aut parum, curæ sunt Dialecticis. Quin neq; fucata Enthymemata oratores semper fugere solent: non enim metuunt, ne nomen suum*

amit-

amittant: vt euenit Dialectico, si ad artes Sophisticas sese conferat: Immò orator in foro, Sophistam scholasticum quibusdam vafris machinamentis etiam superat: vt, cùm exaggeratione confirmat aliquid aut refellit. Efficit enim hæc ratio, auctore Aristotele, vt de duobus alterum videatur, aut non fecisse eum, qui accusatur, si ipsemet eam rem in maius attollat: aut fecisse, si accusator excandescat. Quod sophisma planè est oratorium, neq; potest ad vllum in Elenchis Sophisticis reuocari.

RESPONSIO AD CAPVT XI.

PRIMA fuit ita differentia ex fine, planè futilis & vana. Sequitur altera ex medijs vel instrumentis differendi: quòd alijs sit vsus in arte Apodictice; alijs verò in Dialectice. Quod quidem si posset obtinere Medicus: non frustraneus in curanda scabie conatus esset. Audiamus: *Apodictice vtitur principijs cuiq; scientiæ proprijs, vt Geometrica doceantur Geometricè: Physica Physicè, Politica Politicè, &c.* Proh sapientiam! Sciunt hoc etiam Ramei ex generali sua Logica: rem quamlibet ex suis esse demonstrandam causis: non ex alienis: sciunt hoc ipsi tirunculi. Quoties hoc vobis exprobrant: & quoties ægrè fertis illud: *Geometrica*

Ecquid alia sint in Apodicticis argumenta: alia verò in Logicis vel Dialect.

Geom-

Geometricè tractanda: Cur igitur non habetis eius rationem in formandis artibus meliorem? & cur in P. Ramo culpatis: quòd artibus legem καθαυτὸ poſuerit: cùm hîc eandem verbis penè iiſdem adſeras?

Sed quæ ſunt illa principia? Suntné ſpecialia argumenta diſſerendi, quæ Logica non cognouit? *In Mathematicis,* inquis, *ſunt definitiones: in Phyſicis cauſæ.* At nónne Logice definitionis inſtrumentum tradidit: & cauſarum etiam generale: quod omnibus artibus, ac rebus accommodandum venit? Quid autem eſt: *Mathematicen non habere veras cauſas, & principia?* Fieriné poteſt: vt illa ſcientia, cuius regulæ ſint regularum omnium certiſſimæ, & quæ præ omnibus certitudinis laude præcellit: veris cauſis ſit deſtituta? Et quàm ſubtile: *Mathematica habet definitiones immediatas loco demonſtrationis:* & tamen non habet veras cauſas, & vera principia. Definitio nónne principium verum: quo nullum eſt perfectius argumentum? & definitio nónne conſtat ex cauſis eſſentialibus? bella ſanè Philoſophemata!

Verùm *Phyſice,* dicis, *propriè dicitur principia habere.* Quænam illa? cauſa, & effectus: quorum hoc eſt notius nobis: illud natura. Verùm non habet hæc argumenta, Logica noſtra? Definitio cauſæ, & effecti quę traditur in Dialecticis: ecquid illa non obtinet in Phyſicis? Negare non potes. Quod autem ſub vago & *Phyſices principia.*

dubio

dubio accidentis nomine effectus comprehendis: næuo non caret crasso. Sed moris id est tui; cui sunt eadem: id quod causarum vi exsistit: &: quod alicui rei accidit.

Et quod attinet illam notioris diuisionem: meritò distinxisses; inter artium præcepta primitus inuenienda: & inuenta iam ritè coagmentanda. Ibi enim ita se habet res præ caligine mentis nostræ, vt ex effectibus externis, & nobis notioribus, ingrediamur in internam rei essentiam: hîc verò cùm sint omnia probè cognita discussaq;, semper à natura notioribus ad obscuriora progredi ratio Methodi iusta flagitat.

Instrumenta sic Apodictices tria posuisti: definitionem: causas: & effectus: quæ nihil omninò differunt à Logicis; quatenus instrumenta. Misera certè disputandi ratio, quæ tribus illis limitibus in copias admodum angustas est redacta. Restat dicas & de Dialecticis.

Dialectices principia. *Dialectices principia non sunt propria, sed potius communes & receptæ propositiones: ex opinionibus auditorum vel concessione respondentis æstimandæ.* Quid dici magis insipidum posset, & insulsius? *Dialectices principia non sunt propria:* nec esse debent: aliâs enim Dialectica non essent. Generalis hæc ars est habens communia artium omnium componendarum instrumenta, τῇ χρήσει: non tamen κτήσει: vt soletis vos dicere.

Com-

Communia ſunt igitur ipſius artibus omnibus principia: relatio ſcilicet argumentorum, per axioma & Syllogiſmum. Inter argumenta autèm Logica cùm ſint cauſa, effectus, ſiue accidens: definitio & alia: nihil ab Apodicticis differunt: præterquam quòd Logica ſunt abſolutè conſiderata, vt quibuſuis rebus accommodari queant: Apodictice verò rebus ſpecialibus accommodata.

Longè putidiùs eſt quod ſequitur: *Principia Logica æſtimari in vulgo receptis propoſitionibus ex opinionibus à reſpondente conceßis.* O miſera Logica! túne ſcientiarum & artium Regina ſemper es habita: quæ vulgi ſtabiliris opinionibus, & ab alijs conceſſis? Cuiuſmodi fuerit hæc ars quæſo? Diſputantes igitur nihil habent certi: tenent tantùm receptas propoſitiones, & à Reſpondente conceſſas. Quid vilius, & ſeruilius: quid puerilius in hanc artem dici poſſet? Quid ſunt argumenta Logica in Topicis ab Ariſtotele demonſtrata: nihil ſunt. Quid ſi nolit aliquid Reſpondens concedere? nullius etiam momenti diſputatio. Explica quæſo planiùs hoc, mi Peripatetice: Iudicium Dialecticum idem eſt: *ac ſi quis de dulcedine iudicârit ex viſu, vel auditu.* Quid hoc rei? Glycyrrhiza eſt dulcis. Quare? retulit hoc mihi quiſpiam. Aliquid hic dicit: teſtimonium allegat. Sed da rationem aliam? quia vidi glycyrrhizam. Quis non deridendum propinaret iſtum

quibuſ-

quibusuis: qui saporem probaret ex rei visu: cui sapor inest? Ridete igitur hunc Medicum: qui principia Dialecticę disputatricis, confert cum hoc gustatus principio.

Sed perge: ἔνδοξον, *hoc est, Probabile vel consonum quod est: æstimatur non ex re: sed ex auditoribus, eorumq́ opinionibus, quas de talibus rebus iam animo comprehensas habent. Dialectici enim mensura est intus intellectus scilicet: res verò est mensuratum: vt enim opinamur, ita iudicamus.* Vide, lector optime, ipsa verba: ne quid adfingere me putes ipsi. Vide quæso: & crassissimum errorem perpende. Veritatis hæc est omnium Philosophorum consentiens definitio: quando sic pronunciatur aliquid, vti res est: vel quando verborum cum rebus est harmonia consentiens: ita quidem, vt ista consensio vel necessaria sit: vel saltem probabilis, cui fides haberi debeat: donec aliud, quod magis fide dignum sit, adpareat. Hanc Peripateticus noster in apodicticis quidem concedit: in probabilibus autem contrarium statuit: vt verum iudicetur id: quod iam antè quis secum constituerit: non habito rei consensu. Quid est absurdius hoc dicto: quid perniciosius? veritatem æstimare ex alicuius opinione: vt verum sit id: quod cuiquam magis arriserit. In dubijs igitur illud magis probabile fuerit: non quod cum reipsa magis concordat: quod ratio magis, & discursus animi suadet: sed quod potissimùm

Veritas ecquid ex intellectu mensuranda.

Veritas quid?

sımùm

ſimùm placuerit cuique; ex præiudicata quadam & anticipata opinione? Vide, lector optime, quàm clarè ſatis præiudicium, quod aliâs omne iudicium tollit, ſtatuitur veritatis in Dialectica principium! Hauriendæ nimirum ſunt in diſputando communes propoſitiones: ex quarum præſumta opinione de ſpecialibus pronunciare debeo. Hoc probabile magis? ſcilicet!

Maximæ ſintne Logices principia.

Exemplum ponis in logicorum maximis quibuſdam: quaſi ſint illa principia diſputantium. Toto ſed aberras cœlo. Maximæ ſolent in diſputationibus adhiberi breuitatis gratia: quòd ferè cuiuslibet argumenti vires ſummatim explicent quaſdam: quibus propoſitio maior vt plurimùm firmanda. Nihil enim aliud eſt maxima: quàm iudicandi quædam regula, ex certo quodam argumento depromta: quæ vel generalis eſt: vel ſpecialis, vt in quibuſdam, vel vt plurimum obtineat. Sic illa: Qualis cauſa talis effectus: & è contrario: maxima quidem eſt, cauſarum & effectorum relatione depromta: attamen nunquam ita adhibita: vt res ſecundum illam dirigi debeant: ſed ipſa potiùs ad rei naturam ſe accommodat. Vnde non generaliter de omnibus cauſis: ſed de internis tantùm debet intelligi: quòd his tantummodò conueniat. Quoties igitur Dialecticus eiuſmodi maximam allegat: argumenti, quo quæſtionem

confirmare voluit, indicat ſedem: & eo veritatem maioris in ſyllogiſmo demonſtrat. Nec igitur Dialecticus vel ex peruulgatis opinionibus, vel auctoritatibus dijudicat: ſed æquè atq; apodicticus, ex rei ſubiectæ, quàm argumenta Logica declarant natura: quę cùm modò clarior ſit: modò obſcurior: hinc fit: hinc inquam fit: non ex fictis Dialectices & Apodictices ſomnijs; vt diſputator modò ſcientiæ, modò probabilis duntaxat opinionis fiat particeps.

Nec ad rem facit: quòd Auerroëm ex vltima voces Arabia: dicat ille: Sophiſticas interdum propoſitiones eſſe veras: Nos dicimus, Sophiſticas, hoc eſt, falſas, nunquam ſimul eſſe veras. Sunt enim contraria immediatè: Sophiſtice, & vera propoſitio.

Et ita nullam adhuc differentiam monſtraſti, ex diſputandi inſtrumentis: cùm eadem ſint vtrobiq;, tàm in certis: quàm dubijs materijs explicandis. Et quia cauſarum locus apodictici tui ſpes vnica & ſola: nónne habet eandem Logicus in topicis? Tu negas: *quia cauſas contemplari proprium Philoſophi*: Quamobrem quæſo: *Quia Alexander negat quæſtionem cauſæ Dialectici eſſe*. Principium petis. *Philoponus ait: Dialecticam conſiderare quidem formam: ſed non vt cauſam: verùm vt rem declaret*. Vide lector, alia ſomnia! Si conſiderat eò vt rem declaret: nónne conſiderat vt cauſam? Nónne cauſæ

Cauſa Dialectica.

vis

vis & potentia est; declarare, & in notitiã alicuius aliquem rei deducere? Quænam melior est rei declaratio: quàm ex forma causarum præstantissima? Ex forma igitur declarationem quærens: quærit eam ex causa. Forma enim est causa per quam res exsistit, & à rebus alijs discernitur. Crassa & futilis contradictionis hæc est implicatio: attamen certò vera: quia interpres dixit.

Quid amplius: *Quod in Topicis est causa: valet tantùm ad bonitatem rei probandam, aut refutandam: non autem ad ὕπαρξιν.* Potest igitur aliquis ex materia, forma, & efficiente rem probare, vel confutare: qui non attingit rei essentiam? & potest aliquis essentiam rei inuestigare ex causis: qui rem non probat? Quid ait Analyticus tuus, cùm rei causas explicat: nónne veritatem ὑπάρξεως rei comprobat; & inde contraria refutat? Mira somnia!

Verùm, inquis, *quæstio sic formata: Quæ est causa æstus maris? ne quidem Dialectica.* Quis igitur ô Domine Philippe fuisti: qui non modò causas in Dialectica tua proposuisti, sed & hanc quæstionem, primo & quarto libro, tanquam præceptum singulare alterũ Dialecticæ subiectum posuisti? Quid hîc omnes egistis Logici? qui Dialecticæ *quæstionem in simplicem & coniunctam* tribuistis? Sed audi vir Analytice: si quæram: *Cur septimus dies in morbis est Criticus?* Estnè Dialectica talis quæstio? Non est; *quia* *Quæstio Dialectica.*

nec ita, nec non responderi potest. Apodictica igitur? Multò minùs: quia res est obscura: cuius tantùm probabiles dantur rationes: non apodicticę. Nimirum Dn. Philip. iterum cum Rameis est nouus stoicus: qui hanc quæstionem Dialecticæ materiæ, in hac Peripatetici significatione specialiter acceptę subijcit, lib. 4. tit. cur triplex est syllogismus, &c. Discrimen igitur & ipse non rectè intellexit.

Quid autem de syllogismo toties inculcas: Causam esse cognitionis hunc, & conclusionis: non ipsius rei? Dauus hîc sum profectò: non Oedipus. Si rem intelligis de materia, quæ venit in disputationem syllogisticam, cur cognitionem causæ alicuius syllogismus in conclusione monstrans, vel causam probans non etiam probat causam ipsius rei? Causa rei sine reipsa tanquam effecto nunquam est. Apodictica nos in cognitionem rei deducit: res scrutatur, & earum naturas nobis aperit: non ipsas res producit, nec illarum est causa: quòd solius est naturæ. Sed dic mihi quæso: quæ ars adfert principium cognitionis in aliqua re? nónne simul adfert illa principium rei? Cognitio rei nónne descendit ex causa rei, & principio ipsius. Quid tandem vis tibi vanis istis & vagis disputationibus? quę subtiliores sunt, quàm vt in tironum sensus cadant: quos illis curandos suscepisti.

Obiter hîc inseris definitum & definitionem

nem esse numero idem. Res ipsa est eadem siue definita sit, siue definiatur: at ita considerata res neq; definitum; neq; definitio dicitur. Definitum igitur & definitionem, vt sunt argumenta Logica, si numero easdem putas esse: grauis error est. Definitum, est res quæ definiri debet: definitio, est quæ rem definit. Alterum sine altero non existit: cùm sint correlatiua. En hæc definitione differunt inter se: & relationis, quæ non nisi inter duo cõsistit, societate sunt coniuncta: numero igitur non sunt eadem: sicuti numero non sunt idem frater & frater: quamuis eandem definitionem habeant. Quippe ratione simili partes erunt eædem numero, cum toto: forma cum formato: quia qui de toto negat, is etiam de partib. qui de forma, is etiã de formato. Quàm verò hoc sit absurdum, nemo non videt. *Definitum & definitio an idẽ sint.*

De Dialectice fortasse satis. Quid de Rhetorice dicis? Illa minùs firmis vtitur argumentis, atq; Dialectice. De argumentis Rhetoricis infrà dicetur latiùs. Hîc illud tantùm considera lector: quænam possit haberi fides oratori: & quomodo persuadere possit leuissimis vtens argumentis. Dialectice vtitur tantùm opinabilibus, & dubijs: finis eius est dubitatio. Rhetorice verò multò adhuc leuioribus. At opinionem suprà posuisti mediam inter ignorantiam & opinionem. Dic igitur *Argumenta Rhetorica sunt leuissima Peripatetico.*

quæſo: quid tandem poſſit eſſe inter opinionem & falſitatem: quo Rhetor ſe ſuosq́; poſcit auditores oblectare. Ecquid opinio alia leuior: alia firmior? Leuior autem quantùm diſtabit à falſa? Si igitur Logicus habet opinionem firmiorem: Rhetor neceſſariò falſam fouebit: plus enim vno verum nequit eſſe. Et ſi Dialecticus ex firmioribus ſuis præter opinionem nihil excitare poteſt: quid quæſo Rhetor ex leuiſſimis perſuadebit auditoribus argumentis?

Sed inquis, *Rhetores multa habent ſubſidia, quibus infirmitatem ſubleuant, inter quæ præcipua ſunt: Ethymemata fucata, hoc eſt Sophiſtica. Sophiſtam ſcholaſticum ſæpè ſuperat.* En capite vobis hoc oratores: egregiam verò laudem; leuiſſimas opiniones adfertis: easq́; mendacijs & *vafris machinamentis*, ne aduertantur, obtegitis. Quid fœdius dici poſſet in ampliſſimam Rhetorum facultatem! Hoccine philoſophi eſt, dicere, dictumq́; comprobare: vt fucum faciant auditoribus: quo meliùs nos circumuenire poſſint? Vbi frons? vbi pudor? vbi Ethica, & Politica ſcientia Peripatetice tua? Flagris & plagis in exilium, ſi philoſophus eſſes, eiuſmodi homines vltra Garamantas amandares: vtpote rei tàm publicæ quàm priuatæ peſtes. Sed Peripateticus eſt: ſileſce.

Orator ſuperat Sophiſtam Scholaſticum, et ſophiſticis vtitur argumentis, vide præced. cap.

Veruntamen ſi minùs firmis vtitur orator argumentis; cur ipſi cauſarum magnificus & ſcien-

Cauſa Rhetorica.

ſcientificus ille locus eſt tributus, ab ipſomet Ariſtotele? *Quia verſatur in materia notiori, quæ non fugit auditorem, quas homines plebeij facillimè poſſunt apprehendere.* Quid hoc cauſæ? ſi materia notior eſt, vt etiam plebeius intelligat, tantò manifeſtior eſt cauſa rei: tãtòq; neruoſius ex ipſa rei natura diſſerere poteſt. Quod ſi facit: apodicticus cur non erit? & cur infirmiora Dialecticis protulerit argumenta: qui cauſam proferet omnium certiſſimum argumentum: quæ Logicis non eſt, vt tu putas, conceſſa. Et cur non eadem de cauſa Dialecticus vtetur cauſarum argumento: quòd, ſi paulò ſit obſcurior ipſius materia: tantò ſagaciores habeat auditores: qui pari facilitate poſſint cauſas rerum percipere.

Quid verò rei, quòd orator in adeo dubijs, & incertis fluctuat materijs: vt plerorumq; vel omnium ſit opinione ſuffulta. Non igitur de certis reb. & neceſſarijs diſputat? Non proferre poteſt apodictica, ſi ſuo ſeruiant inſtituto? Finge Cæſareum oratorem in imperij Romani Comitijs hortari principes, ad ſuppetias bello Turcico ferendas. Finge principum oratorem hortari Cæſarem, ad proceſſum litium in imperio reformandũ. Quid putas? Hiccine pro confirmatione ſuæ ſententiæ proferre valet tantùm res opinabiles; immò quauis opinione debiliores? quas vt probabiles reddat *vafris quibusdam machinamen-*

tis vti necesse habuerit? Nullo modo: quin potiùs, vt sunt grauissimæ causæ: sic etiam grauissima rationum momenta, & necessarias valebit adducere causas ex ipsa rerũ & circumstantiarum natura: quibus non opinionem modò multò minus opinione quiddam leuius: sed ipsam necessitatẽ potuerit principum coronæ & Maiestati Cæsareæ persuadere.

Vanũ esse & futile Apodicti- ces & Dialectices discrimen, &c.

Ex quibus omnibus apertè prolucet: quanta vanitas sit & futilitas in artis differendi distractione; in Apodicticen, Dialecticen, & Rhetoricen. Quàm puerilia & inepta subtilium distinctiũcularum stamina: quibus tanto cum sudore ruinosas ædes suffulcire Peripateticus laborat. Cuius tamen adeò nulla rei patet vtilitas: vt in tanto feruore nullũ potuerit ex auctore quopiam bono nobis exemplũ prodere: quo tantam distinctionis illius sapientiam, quam arroganter proclamat, saltem per trasennas ob oculos ponere quiuisset. Quid igitur opus est istis tricis & quisquilijs? quid opus arte triplici: cùm vna sufficiat ad omnia? quam Logici nostri, & priorum seculorum omnes ad vnum, solo Aristotele, & vel maximè interpretibus ipsius exceptis, eleganter, breuiter, & perspicuè descriptam reliquere: cuius ita præcepta generalia; vt non tantùm in probabilibus; sed etiam necessarijs, & apodicticis, quid verum, falsumuè sit, ad illorum ductum nobis inuenire liceat.

DIS-

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XII.

Aristotelis defensio; & monstrosa confusio in nouis Dialecticis.

SCribit Plato de Glauco Marino, ei facto naufragio, partes quasdam fuisse contusas, quasdam fractas, quasdam penitus amissas & vndis dissipatas: Contrà autem adhæsisse illi conchilia, algam, & lapides. Equidem, lector beneuole, si ex me quæras, quis ille Glaucus marinus fuerit, apertò dicam, & sine circuitione fuisse Aristotelem. Neq; enim profectò miseriùs fortuna cum illo naufrago egit, quàm hodie ambitio hominum, cum Apodicticis, Dialecticis, Oratorijs, & Sophisticis, immò cum tota Philosophia Aristotelis. Habuit hic vir admiratores ingenij sui tot iam annis, tot præstantissimos viros: In ijs Theophrastum, Alexandrum, Galenum, Auerroëm, Auicennam, Thomam: Vno verbo, scholas Græcas, Arabicas, Latinas: inuenti tandem sunt nostra memoria, qui cornicum, quod aiunt, oculos confixerunt, easq; fatuitates huic Philosopho obiecerunt, quæ si sexcentesima ex parte rectè obiectæ sunt, nullus vnquam triobolaris bacularius

fuit, eo pinguior & stupidior. In quo tamen summo stupore, rursus aut oportet acumen eius mireris, quod pinguissimas suas sententias, perpetuam inconstantiam, perpetuam tautologiam, perpetuam violationem præceptorũ suorum, adeò vafrè occultauit, vt tot tantique viri nihil horum vnquam odorari potuerint, aut certè summæ stupiditatis illa, quæ dixi præclarissima Philosophiæ lumina, etiam condemnanda sunt: stupidissimum dico Galenum fuisse: stupidissimum Alexand. stupidissimum Auerroëm, non viros amplius, sed plus quàm pueros, si hos tàm pueriles errores, qui obÿciuntur, cernere non potuerunt. Sed nimirum aliter se res habet. Sunt quidam homines naturâ ἐναντιολογικοὶ & simul ambitione occæcati, qui tum se summo loco futuros sperant, cùm alios in imum præcipitauerint. Magni illi quidem interdum in certo quodam genere, sed maiores futuri, si minores esse vellent. His frustra occinas id, quod iam olim auctore Eusebio ab Aristocle dictum fuit, de Aristotelis calumniatoribus: Eorum etiam nomina & libros vnà cum ipsis interire. Frustra etiam id, quod à summo Scaligero dictum est: Aristotelis calumniatores pecora esse. Sed dices: Hæc quidem Rhe-

torica,

torica, & cum multis communis, potest esse defensio. Equidē non nego posse fortaßis ad quosdam Philosophos idem hoc transferri, qui grauiter tamen lapsi sint: Sed qui duobus ferè millibus annorum tàm præstantes sectatores habuerit, ac nunc demùm tot turpium errorum conuictus sit, certè scio ego adhuc neminem. Itaq; Iure hoc dubitationem excitet. Sed videamus ex rei naturâ. Apodictica sunt exterminata: ita tamen vt partium quarundam, nescio quæ imago remanserit sanè quàm tenuis et confusa: Dialectica eandem inimicam vim fati subierunt, si omnia eius membra perlustres, nisi quòd loci problematum τοῦ ἁπλῶς ὑπάρχειν, benigniorem fortunam habuerunt: Rhetorica itidem mirabiliter sunt correcta, vel potiùs castrata: Sophistici deniq; Elenchi non circumcisi, sed funditus excisi sunt. Pro his inuentio quædam communis ex Apodicticis, Rhetoricis, & Dialecticis conflata est: monstrum, ad minimum, biceps. Si enim aliud est scientia, aliud opinio & dubitatio: si item aliud facultas animi ἐπιστημονικὴ, aliud δοξαστικὴ: Si aliud etiam est docere κατ᾽ ἀλήθειαν, adhibita ἀκριβολογίᾳ ἐπιστημονικῇ, aliud sese in vtramq; partem disputando exercere: si deniq; aliud est,

vira-

viratіonum ἀμετάπτωτον fieri, aliud ἐπιχείρητον, nimirum etiam instrumenta & propositiones, vtrobiq; aliæ atq; aliæ erunt: aliudq; erit λόγος διδασκαλικὸς & artificis statera, aliud γυμναστικὸς, & popularis trutina: non magis certè confundenda, quàm sciantia & opinio: habitus certus & habitus dubius: κατόρθωμα & officium medium: Gladiatoria & ars bellica. In scientijs enim maxima sæpè laus est, à populari sententia quàm longissimè abesse: at verò contrà in Gymnasticis, & multò magis in Oratorijs, nihil tàm vitiosum, quàm à communi iudicio abhorrere. In scientijs etiam summa adhibenda est ἀκρίβεια in inuentione causarum, principiorum & elementorum cuiusque rei, itemq; τοῦ πρώτου πάσχοντος: de quibus nihil in Dialecticis, multò minùs in Rhetoricis. Cùm enim inuentio respondere debeat quæstioni, plurimùm autem inter se differant quæstiones epistemonicæ à Dialecticis & Oratorijs (ad has enim potest responderi Ita, aut Non: ad illas, non item) Qui igitur vna eademq; inueniendi ratio potest constitui? At, inquies, ratione vti est commune quiddam, & fusum per omnia. At, inquam, hæc ipsa rationalis animæ vis, qua aliud ex alio colligimus, diuiditur,

tur, in δοξαστικὴν, *& in* ἐπιστημονικήν. *Sempérne volitabimus in quibusdam communibus? An non tandem audiemus Platonem, qui docet, diuisionem & rerum & verborum copiam afferre, & sine ea nos neque rectè sentire neque loqui posse? Etiam oratio communis est, Philosopho, Poëtæ, & oratori, hocque commune habet vbique, vt sit perspicua. Non tamen propterea omnibus his planè eadem: Alia certè poëtæ in theatro hominum mores imitantis & oblectantis, alia Oratoris in foro contendentis aut narrantis: alia Philosophi, in schola rerum naturam explicantis. Neque hæc ab vno artifice, quatenus vno est habitu præditus, tradenda sunt: cùm ex cuiusque fine & rei subiectæ varietate differentiæ nascantur. Ex hac autem confusione verè id hodie animaduertas, quod de Chrysippeis Dialecticis suprà ex Galeno vidimus. Non enim piget idem iterare, si fortè tanti medici repetita medicina, tandem huic morbo nostro mederi poßit: Inde siquidem effectum est (inquit) vt in eorum libris omnis generis assumptiones nullo habito delectu commixtæ sint: Sæpeque præcedat, si ita inciderit, oratoria argumentatio, sequatur exercitatoria, ac dissertatoria, deinceps scientiam efficiens,*

ciens, postremo loco, si ita sors tulerit, captiosa collocetur. Ex his etiam intelligitur causa facilitatis & breuitatis, qua superficiarij homines nimiùm quantum sibi hodie placent. Exterminatis enim Apodicticis, libris scilicet acroamaticis, in quibus omnis subtiliter & γεωμετρικῶς philosophandi ratio continetur: proscriptis etiam, aut capite diminutis Topicis, Rhetoricis & Sophisticis, mirum non est, breuia omnia esse facta & facilia. Sed absq; horum auxilio, quàm acres veritatis inuestigatores, amabilis ista breuitas & facilitas pepererint, grauium philosophorum iudicium esto. Atq; hæc quidem eminùs tantùm ostensa sit alienissimarum rerum confusio. Videamus mutilationem æquè grauem.

RESPONSIO AD CAPVT XII.

POsteaquam Peripateticus noster thronum sibi suum satis Analyticè, per Apodicticen, Dialecticen, & Sophisticen, hoc est, veras, opinabiles, & falsas rationes, stabilire visus est: progreditur hîc: & sceptro suo, quid Ramus iniquiter, cùm in artes admiserit: tùm ex artibus omiserit: non cum figura & strepitu iudicij solemnis: sed de plano declarat: & ab

ab omnibus ſic haberi flagitat. In qua re, quo lectorem magis attentum, commotumq́; reddat: de repente profuſis lachrymis (quibus vtinam vellet Heraclitus ſuas adiungere!) Ariſtotelis in Philoſophico freto naufragium, ante annos bis mille præuiſum: & à Platone, ſicut ex ſuo confingit cerebro, in Glauci Marini perſona ſubindicatum, deplorat: vt ſi non ſolidis argumentis, quaſi rebus deſperatis: iſta ſaltem ratione lectoris in animum ſe penetret. *Naufragium Ariſtotelis.*

Quid igitur hoc rei dicat aliquis? nimirum putat iniquos vt dicam leuiter in Ariſtotelem fuiſſe Rameos, & adhuc eſſe: qui non erubeſcant illius ſe placitis quibuſdam, veris ex rationibus, opponere. Quòd hic Peripateticus iſto plebeio, & anili ſuo, quod ſępiùs antè ſubinnuit, argumento comprobat: *habuit hic vir duobus ferè millbus annorum tot præſtantiſſimos ſectatores: vno verbo Scholas Græcas, Arabicas, Latinas: Ergò non eſt erroribus illius,* quos ſe volunt offendiſſe Ramei, cùm ab illis non ſint animaduerſi, obſiſtendum. Egregia ſanè ratiò: & tanta tibi viſa: vt illam Rameis in primo limine volueris obtrudere. Trepidabam profectò vehementer ab initio legens, & ſubſiſtens ad iſta verba: *tot præſtantiſſimos viros*: vehementiùs autem ad iſta: *Scholas Græcas, Arabicas, Latinas, etç:* Sed pergens video montes parturire. Ex præſtantiſſimis enim bis mille annorum viris, non

non potes proferre meliores: quàm *Theophrastum, Alexandrum, Galenum, Auerroën, Auicennam, Thomam.* Adde quæso, si placet: Scotum, Occam, Holcot, Bricot, Albertum, Tappardum, Ruardum, Petrum de Haliaco, Suicetum, &c. Hoc enim erit adhuc speciosius. Priores mitto: quamuis Galenum sæpè dissentire ab Aristotele non nesciam.

Thomas Aquinas. Quid verò tibi vis cum Thoma? qui, cùm esset ingenio sat acuto, miser incidit in obscurissimos Aristotelis interpretum libros: ex quorum lacunis inanes illas subtilitatum, & distinctionum nugas hausit: quibus Theologiam postea SS. fœdissimè conspurcauit: & Aristotelicorum phantasmatis sacrosanctos nostræ Religionis articulos horridè corrupit. Quod negare non potes: nisi Pontificiæ Religionis esse mancipium malis: quæ pingit Spiritum S. sub specie columbæ auribus Thomæ adhærentem, & commentationes ipsi insusurrantem: inter quas & illæ forsan: quibus Aristotelem maculauit. Si credere fas est. Adeò vt hîc, exemplo omnibus possit esse pijs: non vt inuitentur ad lectionem commentationum in Aristotelem scriptarum: sed multò magis, vt absterreantur. Princeps enim hic est illorum, qui scholasticam per Theologiam ecclesiasticam rem multis obduxêre tenebris.

Arabes. Quid autem cum illis ex vltima vocatis Arabia,

Arabia, rapinis terra nobili? Auerroën dico, & Auicennam? quos sæpiùs nobis tanquam machinas validissimas opponis. Si non piget, & si tantum est ocij, quæso te Peripatetice, lege: quæ scripsit de his Arabibus, non Ramus, nec vllus ex Rameis: sed antequam Ramus 16. natus esset annos, vir magni nominis, & ob eruditionē stupendam per orbem litterarum celeberrimus, Iohan. Lud. Viues lib. de caus. corrupt. art. 5. Quæ libet huc adscribere tui gratia: cùm lectori non dubitem, quin sint benè cognita: *Nomen est commentatoris nactus Abenroës, homo qui in Aristotele enarrando, nihil minus explicat, quàm eum ipsum, quem suscepit declarandum: Sed nec potuisset explicare, etiamsi diuino fuisset ingenio: cùm esset humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem adferebat, quo in Aristotele enarrando posset esse probè instructus? non cognitionem veteris memoriæ, non scientiam placitorum priscæ disciplinæ, & intelligentiam sectarum, quibus Aristoteles passim scatet: Itaq; videas eum pessimè Philosophos omnes antiquos citare, vt qui nullum vnquam legerit, ignarus Græcitatis, ac Latinitatis, pro Polo Ptolomæum ponit, pro Prothagora Pythagoram, pro Cratylo Democritum, libros Platonis titulis ridiculis inscribit: & ita de ijs loquitur, vt vel cæco perspicuum sit, literam eum in eis legisse nullam. At quàm confidenter audet pronunciare: hoc aut illud ab eis dici; & quod impudentius est: non dici: quùm solos viderit Alexandrum, Themistium, & Nicolaum Damascenum:* Abenroës. Audin?

scenum: & hos, vt apparet, versos in Arabicum peruersissimè ac corruptissimè. Citat enim eos nonnunquam & contradicit, & cum eis rixatur, vt nec ipse quidem, qui scripsit, intelligat. Aristotelem verò quomodo legit? non in sua origine purum & integrum, non in lacunam Latinam deriuatum, non enim potuit linguarum expers, sed de Latino in Arabicum transuasatum. In qua transfusione ex Græcis bonis facta sunt Latina non bona, vt ille dicit, ex Latinis verò malis Arabica pessima. Et hæc vir doctiss. exemplo satis euidenter demonstret, in sequentibus: quæ breuitatis gratia non addo. Vide tamen paullò pòst hæc etiam: *Rogo te Abenrois, quid habebas, quo caperes hominum mentes, seu veriùs dementares? ceperunt nonnulli multos sermonis gratia, & orationis lenocinio: te nihil est horridiùs, incultiùs, obscœniùs, infantiùs. Alij tenuerunt quosdam cognitione veteris memoriæ; tu nec quo tempore vixeris, nec qua ætate natus sis, nouisti; non magis præteritorum consultus, quàm in syluis, ac solitudine natus, ac educatus. Sunt quos libenter legimus propter experimenta, & obseruationes variarum rerum in natura, vt Albertum Grotum: tu velut in alia natura genitus, & versatus de hac nihil loqueris, vtiq; in Aristotelem scribens: nam libros tuos medicos non legi. Admiratione atq; omnium laude digni sunt habiti, qui animos formauerunt, qui præcepta tradiderunt benè viuendi: te nihil est sceleratius, aut irreligiosius: impius fiat necesse est, & atheos: quisquis tuis monimentis vehementer sit deditus. Equidem coniecturas omnes consumsi. Iam dic ipse, quia potis-*

Audi Peripatetice!

Attende Scherbi!

potissimùm re, quibusdam placuisti: audio, teneo, non tua culpa est, sed nostra: non tu adferebas, quo non displiceres: non approbauit te tua doctrina, sed aliorum imperitia & torpor: suauia erant obscuris obscura, inanibus inania, & quibusdam pulchra sunt visa, atq; ad fucum faciendum aptissima. Quæ nec ipsi intelligerent, nec alij essent intellecturi: nam existimationem scientiæ quærebant, non scientiam: multi te non legerant, alienum sunt iudicium secuti. Aliquibus propter impietates fuisti gratus: nam & Abenrois doctrina, & metaphysica Auicennæ, deniq; omnia illa Arabica videntur mihi respicere deliramenta Alcorani, & blasphemas Mahumeti insanias: nihil fieri potest illis indoctius, insulsius, frigidius. Vis adhuc plura? Satis, credo. Et hæc habe tibi Domine Peripatetice: tales sunt præstantissimi tui viri: tales sectatores Aristotelis: quorum larua nos deterrere voluisti: quorum gratia tam panicas hîc eiulationes emittis: quòd à nostris fortè sint leuiores habiti.

Arrige aures!

Veruntamen si centena talium virorum millia proferre posses: qui per annorum mille millena millia stetissent ab Aristotelis erroribus: eone quod ab initio falsum fuit, tractu temporis ad verum conualesceret? Rationum certant Ramei pondere: non testimoniorum numero: *Manus ipsorum sunt oculatæ: credunt quod vident:* Nostin? quoties id dictum vobis. Quid igitur vestras auctoritates obgannitis?

Auctoritas non habetur pro firmatione.

nitis: quibus fidem nemo cogitur habere: nisi certis fuerint argumentis, è rei natura petitis stabilitæ: vt in dissertatione mea tibi ac omnibus manifestum feci. Philosophus fuit Aristoteles, non Apostolus. Philosophi autem est; ex certo rationum discursu sua demonstrare dogmata; si fidem sibi velit haberi: quod vbicunque præstat Aristoteles: hîc illum Ramei magnifaciunt: vbi verò negligit, non antè credunt ipsi: nisi, *quid* & *quare* possint accredere, præuiderint. Nam si rei natura diuersa, vel planè contraria dictat: ab Aristotele in veritatis castra transire, & ipsius potiùs naturæ vocem, quàm Aristotelis, ipsis sequi non est religio. Neq; tamen Aristotelem propterea triobolarem Bacularium, vel stupidissimum Galenum, & Auerroën clamitant: vt tù facis hoc loco: sed si lapsionis aliquid occurrit, humanitati adscribunt: & cuiq; suam, quam meretur, laudem relinquunt.

Anilia planè sunt hæc argumenta vestra: quibus hodie nihil frequentius, in adserendis Pontificiæ Religionis dogmatibus. Vulgaris enim hæc cantilena: quòd ista religio steterit ita, per mille quadringentos, & amplius annos: quam tot Patres sancti, Martyres, Theologi, Reges, Principes adeòq; Pontifices ipsi complexi sint, fouerint, propugnârint. Quid tum? ideóne quæ contra manifestum Dei verbum, sunt ob antiquitatem recipienda? Non dices:

dices: spero. Sed quantò minùs istud obtinebit in rebus Philosophicis; quæ nostro subiacent secundum veram rationem sensui? Idololatria supra tria annorum millia præstantes vtiq;, per omnes regiones, habuit sectatores: & hos omnes, quos tu hîc tantopere defendis: idcóne vera: vel saltem cum dubitatione repudianda? Siccinè decet Analyticum de re seria disputare tàm apodicticè?

Sed hîc iterum Rameos tibi mordere clanculum libuit; ambitionem illis exprobranti: *quòd summo se loco futuros sperent, cùm alios in imum præcipitauerint*. Vnde profectum hoc est? ex cerebro tuo, inuidia turgido, maleuolentia turbato. Calumnia hæc est mera: etsi maior quispiam te diceret. Vt compendiosiùs in artium studijs iret iuuentus studiosa: vt rectiùs & citiùs artium præcepta perciperet; idcircò tantos cum tanta suscepit inuidia, & odio labores coniunctos Ramus: vt etiam à deprauata rixandi, & de lana caprina futiliter disputandi consuetudine, studiosos abduceret: vtque magis cum ratione quàm auctoritate Aristotelis, & aliorum philosophari nos debere demonstraret: idcircò ab Aristotelicorũ docendi discendiq; more discessit: idcircò contra Aristotelis quædam praua dogmata, contraq; ordinem, in artibus tradendis, disseruit: non vt in imum præcipitaret eum: quod calumniosè dispergitur à vobis in vulgus: sed vt

Ambitio Ramo exprobrata refellitur.

lectores informaret, vt cum iudicio legerent, vtilia secernentes ab inutilibus, & obscuris: vtq; non vt stupida pecora: sed vt homines ratione præditi ponderandis ipsius dogmatis incumberent. Quam igitur immeritò hîc labem Ramo adspergis: illam longè rectiùs in illum ipsum tuum Aristotelem retorquere possumus: qui *vtinam in gloria expetenda paullò fuisset moderatior, quæ illi haud dubiè contigisset amplißima: qui inuentorum diligentia, & acumine priores longè antecedebat; potuisset nobis relinquere multa à priscis sapientiæ studiosis, acutè ac prudenter excogitata. Sed ille, vt indefesso suo studio omnes, quotquot ante se aliquid scripserant, euoluerat, legerat, excusserat: ita neminem præteriuit, quem non carperet: ratus tantum in se deriuaturum gloriæ; quantum alijs omnibus ademisset, tanquam sublimior esset cæteris, acutiusq; ac longiùs prospiceret. Carpit quidē plerumq; meritò, in quo ingentem meretur laudem, quòd falsas aliorum opinationes tanquam periculosa loca indicârit. Sed nonnunquam adfectatè, interdum non citra calumniam, in quo eum multi incesserunt. Nam veteres cùm viderent rerum vocabula, quæ in promiscuo essent vsu, parum congruere ad ea, quæ ipsi accuratiore naturæ inquisitione eruissent, vel ipsi sua finxerunt verba, vel in communibus vsi sunt longißimis ac reconditißimis allusionibus ac metaphoris: nonnunquam id consultò faciebant, quemadmodum dixi, vt cognitione rerum maximarum indignos prohiberent: Aristoteles ad eorum sententiam in alienißimam opinionem detorquen-*

Aristoteles fuit ambitiosus.

Audin' & hoc?

torquendam, vulgari est abusus significatione, vt eos consensu populi premeret, & quasi publico præiudicio condemnaret: vt de Ideis & motu animæ contra Platonem, de vnitate entium contra Parmenidem. Ea res non solùm veras antiquorum sententias nobis ademit, quæ fortaßis iactura fuisset tolerabilis; verùm quod est grauius, Aristotelem nobis timidiorem effecit, ad eloquendum quod sentiret, reputantem scilicet quod est in mimo: ab alio expectes, alteri quod feceris, &c.

Vide in hunc sensum plura, apud Lud. Viu. lib. 1. de causis corrupt. art.

Sed tandem videamus ipsum naufragium. *Apodictica, inquis, sunt exterminata: Dialectica similiter: Rhetorica mirabiliter correcta vel potiùs* (vt paulò ciuiliùs loquaris, & vrbaniùs) *castrata: Sophistica funditus excisa.* Tum reliquis aliò remissis, de Apodictices & Dialectices confusione pleniùs agis. De futili prorsus hac, & inutili distinctione suprà satis, superq; dictum. *Cap. 10. & 11.* Sed audiamus tamen argumentum tuum: *Si aliud est opinio, aliud scientia: etiam propositiones, & instrumenta alia, atq; alia erunt; & per consequens duas etiam Logicas artes Ramus conscribere debuit.* Sed prius verum: Igitur & posterius.

Cur ita verò Dn. Peripatetice? De propositionibus libenter concedo, si ex re ipsa, quæ disponitur in propositione, differentia nascatur. At res non nascuntur in Dialectica, dicit præceptor noster Dn. Philippus. De instrumentis verò planè nego: cum plerisq; omni- *Eadē Apodictices & Dialectices instrumenta.*

 bus

bus etiam è vestra schola Logices scriptoribus. Quibus enim instrumentis dispono propositionem certam, & quibus eandem declaro vel confirmo: ijsdem etiam in dubiæ quæstionis disceptatione locus est. Æquè enim Rhetor argumento causarum, effectuum & propriorũ adiunctorum, item definitionum, & diuisionum vtitur; atq; Philosophus. Differentia autem omnis est, in rebus tractandis: quę si possunt ex sui natura rectè discuti: sciẽtiam gignunt. Si verò rei natura sit obscurior, vel vagabunda; probabilem duntaxat opinionem procreant. Exempli causa: Ignis vrit: Cicero scribit. Duæ sunt hîc propositiones: vtraq; ex causis, & effectis. Illa autem necessaria: hæc contingens. Causa dicitur cuius vi res est; effectum quod ex causis existit. Quæro iam: ecquid hæc definitio causæ, & effecti non competat æquè Ciceroni & scriptioni: atque igni competit, & vstioni? Nemo sanus hoc negabit. Quæ igitur est diuersitas inter has causas? Illa necessariò agit: hæc contingenter. Rectè. At hoc ex rebus ipsis Logicæ subiectis est discrimen: non ex Logicis præceptis.

Causa necessitatis, & contingentiæ in argumentis

Præcepta Logica sunt ad benè dissertandum comparata. Dissertantur illâ res Physicę; ex quibus propter clariorem suæ naturæ lucem, constantemq; rationem, constans gignitur scientia: dissertantur item res illâ Politicæ, quæ sunt inconstantis atq; debilis naturæ:

ræ: quæ debilem quoq; gignant scientiam necesse est. Dissertantur res vtrobiq; per causas, effecta, subiecta, adiuncta, dissentanea, comparata, &c. idq; eodem planè modo: vt alia non sit illic, quàm istic argumentorum istorum ratio. Quòd autem effectus Dissertationis est dissimilis: hæc est causa: quòd in illis sint causæ, perpetuæ, constantes, qualitates propriæ & essentiales, &c. in his verò causæ sint, & effecta debilia, in hominum opinione, ac vario & incerto circumstantiarum & euentorum casu posita. Quòd igitur illinc verum comparatur; istinc probabile saltem: non facit Logicæ præceptorum, sed materiæ diuersitas. Et ita præstantissimi quiq; sensere Logici: qui describentes vsum rationis, non duas hîc, sed vnam nobis differendi: tàm res certas quàm dubias, artem monstrauêre. Sic Dn. Philippus inquit: *cùm dicitur tria esse syllogismorum genera: de Materia dicitur.* At, inquam, materia non est artibus tractanda: sed materiæ tractandæ ratio.

Quàm igitur leuis hæc, & eneruis ratiocinatio Scherbi tua, cui tantopere fidis, vt eam in prima colloces acie? Alia est inquis artificis statera, alia trutina popularis. Quid tum? alia tamen non est librarum forma: nec alia ponderandi ratio; quàm vt æqua bilance, quantum fieri potest, accurate res pensitentur. Quòd autem maiori cum solicitudine pon-

deratur aurum: atq; caseus: in re ipsa discrimen positum est: quòd ibi multum intersit non omninò æquissima rem trutina pensitari: hîc verò valdè parum.

Sapiens nusquam debet communem opinionem vulgi spectare: sed veritatem.

Quòd *in scientijs à sententia populari debeamus abesse: in alijs verò rebus à populi non stare iudicio vitiosum sit*: nimis imprudenter excidit, & si sapis, dictum fortasse nolles. Veritatem vbique, & in omnibus rebus differendis indagare Philosophi, & viri boni munus est: quam ex cuiuslibet rei natura metitur ad normam Logicam, & certitudinis principia: non ad huius vel illius opinionem: à qua semper abesse longissimè debemus, si falsa est: si certa, tenacissimè debemus eandem defendere. Quasi verò in regenda Repub, & digerendis hominum negocijs à communi iudicio stare debeat orator, & quiuis alius de rebus ciuilibus agens? Quid igitur si contra vulgi mores vitiosos, contra consuetudines peccati materiē alentes, contra deprauatas eiusdem in rebus quibuslibet opiniones sit disputandum: quibus in oratorijs nihil frequentius? Ad candidi lectoris iudicium prouoco: & audacter dico Dn. Scherbi: in *Oratorijs nihil tàm vitiosum: quàm à communi iudicio* non *abhorrere frequentiùs.*

De causis etiam in Dialectica tradi.

In scientijs causæ, principia, & elementa rei sunt inuenienda: de quibus nihil in Dialecticis & Rhetoricis: cùm ad illas responderi possit Ita & Non: ad istas Non item. De quæstionibus his antè dixi, quòd

Diale-

Dialecticæ Dn. Philippus, & omnes alij *subiecerint vtramq;*. Sed in Dialecticis non agitur de caussis, principijs, & elementis? quid igitur argumẽtum caussæ facit in Topicis? Nónne etiam res ciuiles, ex suis elementis, & principijs constructæ sunt: an verò ex nihilo? Dic quæso mihi: si surgat hac tempestate Rhetor eximius, Turcicum bellum iustissimè geri militibus persuasurus: quid aget? Sanè si rem ex sui natura velit ipsam despicere, & suos auditores solidè docere: primùm in genere, quid sit bellum: posteà quid iustum sit bellum, peruestigare opus habet: ex quibus fontibus suas postea rationes tanquam riuulos diducat. Quid enim de bello verba faciet; si quid sit ignoretur? quid de iustitia belli: si, quid illa sit, plerosq; lateat? Quę si sint enodanda: caussa belli, & principia tàm in genere quàm specie depromenda. Sed quid hanc cramben recoquere fuit opus, cùm suprà satis sit protrita?

At, inquis, *rationis in disserendi vis illa diuiditur in δοξαστικὴν & ἐπιστημονικὴν*. At, inquam ego: illa non rationis vis, quę semper ijsdem vtitur argumentis in Logica descriptis; sed materiæ diuisio est, in qua rationis vis exercetur. Quæ vires rationis enodant certas quæstiones: eædem quoq; probabiles: ijsdem organis, & eadem via; sed dissimili euentu: qui rebus tractandis, non tractationis modis venit adsignandus.

gnandus. Sententiæ ex quæstione disceptatæ diuisio sic est: non ipsius instrumenti, quo disceptamus. *Sempernè volitabimus* in hisce materiæ cum organis confusionis tenebris? Cur tu quoq; non audis Platonem, rectè discernere iubentem.

Oratio quomodo sit communis oratori, poëtæ, Philosopho.

Etiam oratio communis est, inquis, Oratori, Poëtæ, Philosopho: non tamen omnibus his eadem planè: cùm alia sit poëtæ in theatro. alia oratoris in foro: alia philosophi in schola. Quæ igitur est inter horum orationes differentia? Dices credo; Philosophus simpliciter, & sine lenocinijs, atq; pigmentis animi, sui sensa, per verba clara, breuiter prodit: Poëtæ verò & oratores varijs vtuntur ornamentis, troporum & figurarum delicijs: quibus se magis delectabiles, & iucundos auditoribus efficiant. Ideoq; orationem duæ nobis artes informant: Grammatica scilicet & Rhetorica: quarum illa puritatem & conuenientiam verborum: ista ornatum docet. Rectè quidem: sed hoc ideo: quia sunt hîc organa simplicis, & ornati sermonis componendi diuersa. Quibus enim regulis, etymologiæ & syntaxeos, purè & congruenter loqui sum edoctus: ex ijsdem non possum dicere ornatè. Ornatus enim qualitas est à puritate destinata: quæ peculiaribus organis attemperata conformatur. Puritas igitur & congruentia sumitur à Grammatica; quæ omnibus debet inesse sermonibus: qua purita-

te si

te si quis contentus esse nolit, & insuper ornatum desideret in sermone suo: Rhetorices opem implorat: quæ tropis & figuris illa, quæ simpliciter erant proloquenda, depingit, exornat, & speciosa reddit: siue sit poëta, siue orator. Nullum enim inter hos est discrimen aliud; quàm quòd ille ligatum, quem similiter Rhetorica monstrat, cum Grammatica; iste verò solutum sermonem vsurpat.

Ecquid in Logicis est eadem ratio, vt alia sit ars, quæ probabiliter de re disceptet: alia verò quæ apodicticè? Longius aberras ô bone! Si alia essent argumenta, quæ opiniones: alia verò quæ scientias disceptando producerent; sicut alia sunt organa, quæ purum; alia quæ ornatum sermonem conformant: libenter tibi cederem: At illud esse falsum, toties est ad oculum monstratum. Quibus enim argumentis vsus sum in inquisitione scientiæ: causis nimirum, effectis, adiunctisq; proprijs, & proximis: ijsdem quoq; si possunt haberi, semper vtor in inquisitione probabilis opinionis. Quòd autem res ibi processit: hîc non item: non instrumentorum: sed rei subiectæ culpa est: quæ in illis habet causas & alia argumenta sibi constantia, & inuestigatu possibilia: in his verò vel præ nimia obscuritate non possunt dari causæ, & aliæ firmiter arguentes rationes: vel inquisitæ fragiles sunt & inconstantes. Vtrobiq; inuentioni argu- *Non est aliares Apodictices: alia Dialectices.*

gumen-

mentorum incumbo: inuenta dispono. Quæ si certa fuerint ex dispositione gignitur scientia: si incerta, opinio. Quòd si verò præ rerum obscuritate vel omninò nihil inuenire queo: vel incerta duntaxat: ecquid hoc in arte positum: ecquid hîc arte diuersa sum vsus?

Clariùs dico: si alia est ars disputandi, vt scientiam mihi comparem: alia verò vt opinionē duntaxat: sequitur quotiescunq; apodictica vtor in rei disceptatione: toties mihi scientiam parari. Si enim ab arte pendet hoc: omninò sequela hæc debet stare; posita namque causa: ponitur effectum. Quippe quoties Rhetoricam in sermonis adhibeo conformatione: toties mihi sermonem, quicunque sit ille, & quibuscunq; de rebus conformare possum, elegantem, ornatum, & schematibus illustrem. At apertè falsum consequens. Quæstio enim si sit ipsa per se obscura, vel in dubijs, & fragilibus causis posita: etiãsi mille Analyticos adhibeas, & centum millia apodicticorum: nunquam tamen efficies; vt ex causis mobilibus, & inconstantibus constantes expromas, & immobiles: nisi rerum naturam peruertas. *Ex vero* enim vt *nil nisi verum sequitur*: sic ex falso nil nisi falsum: ex dubio nil nisi dubium.

Quocunq; igitur te vertas Peripatetice Philosophe: nūquam hoc euertes mihi: quod illud, vt verum possit exquiri, & contingens,

non ab arte sed à rebus ipsis dependeat: quæ si sint constantes, non obscurę nimis, scientiam: aliâs opinionem tantùmmodo per disceptationem nobis producunt. Vnus igitur, & idem artifex, vt ex bona materia bonum; ex vitiosa non nisi vitiosum conficit opus: vtcunq; miris illud tegat & occultet technis: ita Logicus vnus, & idem si disceptet quæstionem, certam scientiam promere potest; si per se incertam: nunquam aliud quàm opinionem producet: vtcunq; causas omnes, & omnia quęrat argumenra apodictìcè; immò etiam sophistica. En iterum prostratum Peripateticæ superstitionis futile, & nugacissimum Idolum.

Cur autem Galeni tui recoquis illud? Si nosti Rameorum libros, in quibus Sophisticæ sint adsumtiones: cum illis rem gere. Si autem certas & probabiles simul ferre non potes, in disputatione rationes: ex orbe terreno in cœlestem transuola. Nihil enim in hac rerum natura sic est expolitum: quod non habeat aliquid admixtum labis. Et quam tu mihi monstraueris vllius auctoris probi disputationem: quæ non vnà cum Apodicticis etiam probabiles rationes adsumserit: cùm *quæ non prosunt singula multa iuuent*; vt poëta loquitur. Quid igitur periculi, siue in disputando præcedat ratio probabilis certam: siue subsequatur? Tu verò cùm tres tantùm dederisno-

Nihil ex omni parte Apodicticum.

ris nobis adſumtiones: redde rationem: cur tuus Galenus quinq; poſuerit: *apodicticas*, *ſophiſticas*, *exercitatorias*, *diſſertatorias*, *oratorias*. Profer diſcrimē inter exercitatorias, diſſertatorias, oratorias? cur non addidit Poëticas, ſcholaſticas, diſputatorias, oſtentatorias, fabuloſas, vanas, friuolas, &c. Vt autem ab hoc intricato capite me ſemel expediam: videt æquus lector apodicticen à Logica non differre præter ſubiectam materiam, vel Dn. Philippi præceptoris noſtri teſtimonio probatiſſimo: quæ materia non poteſt in modo differendi diſcrimen inducere: cùm eadem ſint vtriuſq; tractandę organa. Euentus diſputationis eſt diuerſus: & hic à P. Ramo ſollertiſſimè diſtinctus. Calumnia igitur eſt apertiſſima: quòd *de rerum alieniſsimarum confuſione conclamat aduerſarius.* Summa autem Rameę philoſophię laus hinc elucet: quòd breuis illa ſit, & facilis; vel ipſius aduerſarij quamuis inuito teſtimonio. Nihil enim ad artis alicuius præter veritatem, poteſt excellentiam dici meliùs demonſtrandam: quàm vt reſectis & abiectis inutilibus, ſuperuacuis, & ſpinoſis: intellectu facilis, & perceptu breuis fiat.

Breuitas Ramea.

Illorum enim omniū, quæ Ramea prætermiſit Philoſophia, poſſumus auxilio carere, ſine omni veritatis, & ſtudiorum intertrimento: immò cum maximo commodo: vt eò vel vno progredi poſſemus anno: quo vix

duobus

duobus vel tribus Ariſtotelico ſuſpicere licet. *Quam autem acres veritatis inueſtigatores abſq; illorum,* quę tu requiris,*auxilio* Ramei ſint: non modò grauium Philoſophorum in omni facultatum genere, Medicorum, Iuriſconſultorum,& Theologorum eſt iudicium: quorum aliqua produxi in fine diſſertationis meę teſtimonia:ſed teſtatur etiam quotidiana experientia; quam feliciter, non modò Philoſophi in Ethicis, & Phyſicis: ſed etiam Iuriſconſulti, & Medici in ſuis facultatibus, & artes ipſas conſcripſerint & veritatis in artibus ſagaciſſimi perueſtigatores huc vſq; fuerint. Si dubitas: adſpice ſaltem virorum clariſſimorum: Scribonij, Brigthi,, Vulteij, Althuſij, Rigeni, & aliorum libros publicè promulgatos: adſpice, & ex tuis, qui paria fecerit antehac, in medium produce: vel cum tuis te ſubduce *ſubtiliter & γεωμετρικῶς philoſophandi rationibus*: nobis autem vtiliter, & perſpicuè, de rebus in communi vita neceſſarijs, diſſerendi facultatem relinque.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XIII.
De mutilatione Dialecticorum.

TὸΤὸ καθ' αὑτὸ *ipſiſmet auctoribus eſt regula et verum* κριτήριον, *quid in artibus retinen-*

 dum,

dum, quid exterminandum. Esto sanè. At verò, ô Chrysippei, non est vnica ratio eorum, quæ sunt per se. Prima & secunda significatio, fuerunt ad Mathematica approbata. Quarta est vsitatissima in Physicis: Est etiam vsitatissima in scientia ciuili, in artibus, in Analyticis, in Gymnasticis, in Oratorijs: cùm in his, proposito fine, ea colliguntur & in arte traduntur, quæ per se, & sua vi, finem illum progignere possunt: eaq; arti illi homogenea & necessaria sunt. Cur igitur ex Gymnasticis præcepta sustulistis τάξεως & κρύψεως? An nihil faciunt ad rem? An in arte militari quoq; τάξις, siue aciei instruendæ ratio, & κρύψις, id est, strategemata, nihil faciunt ad victoriam? Quid igitur Vegetius? Si, inquit, acies sapienter disponitur, plurimum iuuat: si imperitè, quamuis optimi bellatores, mala dispositione franguntur. De strategematis militaribus & Dialecticorum aggressionibus, nemo nisi stultus dubitat. Cur item sustulistis, quartum, quintum, sextum, septimum Dialecticorum libros? An hæc quoq; nullius sunt vsus? An quia illorum omnium problematum, quæ his libris tractantur, definitionibus cognitis, protinus etiam effata hæc oppugnandi, sunt cognita? vt si nôrim

quid sit genus, omnia etiam effata contra id disputandi, statim nôrim. Est hæc quidem plausibilis vestra & expedita responsio, quâ propemodum eâdem olim etiam pro suis communitatibus illi vsi sunt, qui se in arte medica vocabant Methodicos: quos tamen Galenus ab auctore potiùs nominabat Thessalicos asinos. Atqui suprà didicimus definitiones, quæ sunt orationes in angustum coarctatæ, non satis posse à tironibus capi, proptereaq́ue longis potiùs explicationibus eos detinendos. Ita certè definitiones primo Top. traditæ, erant euoluendæ, & latentia effata ἀνασκευαστικὰ, elicienda. Non enim si tu iam senex, qui tota vita in Scholis habitâsti, ex definitionibus στοιχεῖα illa potes educere, etiam tiro educet: Cùm præsertim libri illi sint ad communem hominum intelligentiam conscripti. Conqueritur adolescens apud comicum de senum duritie: Moderantur, inquit: ex ea libidine, quæ nunc est, non quæ olim fuit: Rectiùs conqueretur alius: Docent ex sua intelligendi facilitate, quæ nunc est, non quæ olim fuit. Iube ediscere tironem morborum definitionem, videbis an non præterea ei opus sit indicationibus ex definitione quaq́ue eductis, & longioribus Galeni commentariis.

RESPONSIO AD CAPVT XIII.

REGVLA καθαυτὸ requirit apud Rameos; vt pręcepta cuiusq; artis omnia ſint inter ſe homogenea, hoc eſt, eiuſdem corporis membra; quæ ad artis, quam explicant, naturã declarandam: tum etiam ſummũ ipſius bonum adipiſcendum præcisè ſint directa: reiectis omnibus parergis, & heterogeneis; quæ nec artis attingunt materiem; nec ad eandẽ pertingunt metam. Quotcunq; igitur vos, ô Peripatetici, vobis rationes per ſe, ſomnietis: & quocunq; terrarum ablegetis tertiam, vel ſolam domi reſidere vacuam iubeatis: nihil ad nos attinet, hoc vno modo, quem dixi modò, contentos: qui nobis abundè ſufficit: ad ſuum cuiq; arti tribuendum.

Artes gymnaſticæ nõ differunt præceptis à didaſcalicis.

Ad gymnaſtica quod attinet, ſcito Rameos ita ſtolidos non eſſe; vt ex vna arte binas ſibi producant. Didaſcalicis enim cognitis: Gymnaſtica ad illorum ductum & effigiem inſtituunt, tàm in analyſi quàm geneſi: & id agere in vmbra per gymnaſtica iubent tirones ſuos: quod poſtea debent in clara luce ad communem hominum vtilitatem in Eccleſia, foro, vel ſchola peragere.

De τάξει verò, & κρύψει ſuo tantùm propoſuit P. Ramus in Logicis loco: quantùm diſcentibus & docentibus vſui futurum ſiet. De

acie

acie instruenda, & strategematibus militaribus, quòd hîc infarcis; militibus nostris in Hungaria, pro focis & aris, aduersus Christiani nominis hostem, feliciter, fauente Deo, præliaturis commendo: nec quidquam nos attinere puto.

Cur hoc vel illud Aristotelicum dogma sit à Ramo pretermissum, cur quæris? Rationem nosti. Dicam tamen tribus verbis: quia vel satis verum non fuit: vel heterogeneum: vel deniq; superuacuum. Tu si putas aliter agendum; vel iniuriam Aristotelis factam dogmatibus quibusdam: quid mussas? quid in dumeto latitas: & Galenum cum suis Thessalicis asinis obtrudis? Si quid scitu vel doctu necessarium prætermisit P. Ramus: cur non rationibus id demonstras? quid opus isto de asinis conuiciolo? Asinos si quos habes, tibi & Peripateticæ philosophiæ tuæ studiosis, quibus labores imponis asininos, vt sufferre possint, reserua potiùs: nobis illorum nullus vsus: quibus artes sunt faciles, & perspicuè breues: vt ipse non diffiteris.

Sed cur tibimet ipsi contrarius es; qui cùm præcedente capite breuitatem, & facilitatem Ramearum artium vellicaueris, hîc easdem perplexæ difficultatis arguis? Vbi tirones audiuisti, quæso, Rameos, de difficultate præceptionum, quas ediscunt, conquerentes? Si difficilia sunt, & obscurè perplexa Rami præ-

cepta: cur vos mordet; quòd ad frugem tam maturè perueniant eruditionis ipsius disci- puli? quòd citiùs scribant, & loquantur publi- cè; quàm iuueniles annos exigant, vt antè conquestus es? Veruntamen quid desideras? *Definitiones erant euoluendæ & latentia effata eli- cienda.* Audio. Sed audi vicissim. Quod atti- net ad Rameas definitiones: illæ sunt ita per- spicuæ, vel, vt vos conuiciamini, populares, & Rhetoricæ: vt, quod moris est vestri, in A- ristotelicis definitionibus, ex singulis illarum verbis, singula mysteria non necesse habeant exprimere. Definiens enim P. Ramus expli- cat quid res sit: idq; claris verbis & perspicuis: cùm ex aduerso vester Aristoteles implicet potiùs res, definiendo per obscura, & perple- xa. Deinde si quid explicationis indigeat ar- tis præceptum: Ramei solent id oneris impo- nere præceptoribus, vel interpretibus, vt illi quoduis præceptum declarent obiter, & ex- emplis illustrent. Idq; putant longè condu- cibilius: quàm si quadratis, & crassis oneren- tur tirones commentarijs perlegendis & per- discendis. Artium volunt esse præcepta bre- uia: exempla varia & multa: commentationes inter prælegendum, & maximè inter repeten- dum per analyses, dilucidas, & frequentes; auribus, non calamis exceptas. Quid tibi vi- detur?

Cap. 1.

Ramus ec- quid diffi- cilis intel- lectu.

Repetis doctrinam tuam, cuius te, miror, quò d

quòd non pudeat adhuc, insipidam: *definitiones non satis posse à tironibus capi: longis potiùs explicationibus eos detinendos.* Longa igitur & perplexa Aristotelis volumina citiùs capientur à tironibus: quàm breuissimæ, & paucissimæ Rami pagellæ? à definitionibus igitur, cuiusq; rei, quæ cum ratione tractatur, quod tamen Ciceroni placuit, inchoandum non est; sed potiùs à longis explicationibus? Vt dicam, quod res est; cùm superius idem diceres; excidisse tibi forsan imprudenti credebam: nec eò dementiæ quenquam peruenire posse putabam: qui diceret: in artibus conscribendis, cum tironibus potiùs esse longis explicationibus agendum: quàm lectionibus, breuiter rei summam complexis. Inauditum hoc est, & insolens paradoxum; quod ne quidem tuis gregalibus placuerit. Si cum prouectioribus ita velles agere, qui rudimentis essent artibus imbuti: tolerandum. At cum tironibus: id omnem superat fidem: omnem experientiam: omnia artificum, & sapientissimorū in schola Doctorum decreta. Non igitur in hoc refutando laboro: cuius eūidens est absurditas, & cui quotidiana refragatur experientia. Dominum Philippum tamen oppono tibi; qui omnem docendi viam vult perfici: *definiendo, diuidendo*, &c. Item Ciceronem: qui de Oratore, perfectam iuris in fore doctrinam putat: *si ius omne in genera quis digerat: generum membra disper-*

Ecquid artes esse longæ potiùs debeant, quàm breues.

Cap. 5.

dispertiat: tum propriam cuiusq; vim definitione declaret. Vel, vt in Bruto loquitur, *si rem tribuat in partes, latentem explicet definiendo: obscuram explanet interpretando.* Vide Peripatetice: ad viuum expressa est hîc Ramea Methodus ab ipso Cicerone: quam tu vellicas, & admordes adsiduè, tanquam nouam. Quid enim aliud agit Ramus; quàm, vt res definitas distribuat, distributas in partes definiat, & in particulas, si necesse sit vicissim, tribuat.

Explicationes artiũ non improbantur: sed extra artes.

Indicationes tamen interim *ex definitionibus quibusuis eductas*, vt tu loqueris, & longiora commentaria non improbo. Verùm vt arti non infarciantur illa: sed obiter ab interprete, declarationis gràtia, inter prælegendum notentur: vtq; ad ista non admittatur tiro; sed arte primùm percepta, fundamentisq; solidè iactatis. Inter artem igitur, & interpretationem artis: item inter tironem rudem: & iam mediocriter exercitatum distingue, si lubet: vt breuitas in arte seruetur: & in tirone instituendo; prolixior explicatio interpretationi, & exercitato sit accommodata.

Atq; ita mutilationes artium hoc in capite nullas ostendisti: nisi hoc erit probationis instar; quod dixisti: P. Ramum quædam Aristotelis dogmata non adgnouisse in suis artibus conscribendis. At Aristotelis aliqua superuacua, & aliena spernere dogmata; hóccine est artes mutilare? Non credimus illud: qui

non

non Aristotelem: sed rationem, & vsum principia constituimus artium. Videamus igitur alia.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XIV.
De mutilatione Rhetoricorum.

DE Rhetoricis non minor nostra querela & admiratio est. Mirum enim profectò, Elocutionem, (quæ naturalis maximè debet esse, ne suspicionem malæ causæ afferat) & actionem, quæ ab histrionibus est petenda, fuisse retenta, præcepta autem illa aurea παθητικὰ *&* ἠθικὰ, *spreta & abiecta. Nam ex ipsismet quæro, si cætera omnia sint paria, vter ex his duobus oratoribus plus ad persuadendum virium sit habiturus, ísne qui permouendis, & in omnem partem flectendis hominum animis plurimum valuerit, an qui actione aut elocutione? Ita in deliberando, quæso, quid valentius morata oratione? An falsum putas, quod Aristoteles contra veteres dicendi magistros docuit: Nihil ferè ad faciendam fidem potentius atq; efficacius esse, moribus dicentis: quod ipso orationis genere fieri oportet, non ob præiudicatam de dicentis ingenio ac moribus*

bus opinionem. Ac ſanè hæc ipſa cauſa eſt, cur elocutio & actio in extremum librum ab Ariſtotele ſint reiecta: quæ tamen, vt eſt omnium rerum viciſſitudo, hodie in nouis Rhetoricis, primas, ſecundas, & tertias, id eſt, omnia obtinent. Atqui, dices, è locis Dialecticis, iſta quæ deſideras, poſſunt erui. O beatiſſimos locos, profectò non malè olim philoſophatus eſt Anaxagoras, πᾶν ἐν παντὶ μέμικ). Nam ex iſto veſtro decem locellorum ſacco, quid tandem non depromitis? putaui ego huc vſque ex Theophraſto, παραγγέλματα in Dialecticis, eſſe principia locorum: Locos verò principia ἐπιχειρημάτων, (nota) quibus in omnem partem probando vtimur. Nunc video, quicquid mihi in vlla arte inueniendum, in his beatis Stoicorum inſulis, me reperturum. Audiui enim, qui dicerent, ſi medico inueniendum remedium ad ſubitum animi deliquium, ad dolorem dentium, ad omnes omninò morbos, hos Crœſi theſauros ei adeundos. Si Poëta velit adumbrare, ſummum Reipub. moderatorem, vt fecit Vergilius, ad fabulæ inuentionem & ſyſtema, huc recurrendum. Si pictor denique conetur exprimere qui mores ſint Melancholiæ, aut qui decurſus ætatis adoleſcentis boni & tractabilis, qui

con-

contrà peruersi & distorti, huc properandum. Mirum verò quòd oratori verba etiam selectiora non itidem hinc arcessenda voluerunt. Sed quando adeò exprompta & beata in istis locis vestris est facultas, cùm cæterarũ rerum, tùm etiam commouendorum affectuum, placétne sodes in rem præsentem venire? Fac hodie tibi remotis omnibus subsidijs, causam Milonis agendam, & ad extremum iudicum animos ad misericordiam flectendos. Hîc tibi trepidanti, & inexercitato, ecce in alteram manum do locos istos tuos locupletissimos, in alteram misera & repudiata præcepta Aristotelis. Hinc, hinc, non aliunde, videbis, vtra manus liberalior sit futura, vtra expressiora omnia habitura. Sine dubio tandem disces de tuis thesauris Hippocrateum illud: Omni copiæ inest inopia. Idem hoc agnosces quoq; in repudiata inuentione Rhetorices. Suprà enim diximus, artem hanc virgultum esse Dialectices; & propterea inuentionem eius propriorum in quoq; genere argumentorum, ex fontibus secundi & tertij Topicorum deriuari. Nam quæ in his quoquo versum latè diffusa fuerunt, ea ad vsum τῶν πολιτικῶν λόγων arctius conclusa, quasi in agros oratorios deducta sunt. Atq;

inde

inde quidem emanârunt pulcherrima illa effata, de vtili & damnoso: iusto & iniusto: honesto & turpi: quæ tu mihi nunquam (ausim iurare) ex communissimis Dialecticorum locis, facilè educes. Experire. Verum me dices.

RESPONSIO AD CAPVT XIV.

Rhetoricæ partes. RHETORICÆ vulgò partes quinque recensitæ sunt: *Inuentio, dispositio, elocutio, actio & memoria.* Ex his P. Ramus primò sustulit memoriam: quòd illa, si per se cōsideretur, Physicæ subiecta sit: vtpote animæ quoddam officium: si verò relatione quadam: quòd vel iuuet oratoris dispositionem; vel eius Methodo iuuetur: illo modo non magis dici poterit pars Rhetoricæ: quàm ipse rationis discursus in intellectu: nec magis Rhetoricæ: quàm omnium communis artium: quòd nulla sine memoriæ, suum faciat munus beneficio: isto verò, Methodi Logicæ quidam fructus est; vt memoriam iuuet: non autem Rhetoricæ, vel alterius pars artis.

Memoria.

Sustulit idem dispositionem; quòd spectet ad Methodum Logicam: quæ docet: quomodo res inuentæ, sint in qualibet arte disponendæ: non tantùm in orationibus; sed quibuslibet omninò cōmentationibus.

Dispositio.

Sustulit denique inuentionem; quòd illa sit Dialecticæ pars prior, in argumen-

Inuentio.

gumentis ad confirmationem inueniendis. Et hoc omne ſummo iure: quòd, quæ propria ſunt vnius artis: in alia non ſint tradenda: quæ ſemel expoſita alibi, non tædioſè recoquenda: quæ inter ſe diſtincta, minimè confundenda.

Quid hîc queritur & admiratur Medicus? *Solam Elocutionē quæ naturalis debet eſſe, ne ſuſpicionem malæ cauſæ afferat: & actionem, quæ ab hiſtrionibus petenda, fuiſſe retentas.* Si elocutio non niſi naturalis eſſe debet; & actio hiſtrionum propria: cur tuus Ariſtoteles illas fecit Rhetoricæ partes? Siue enim in extremum ſint ab ipſo reiectæ librū, quod adferis; ſiue primas teneant, & ſecundas; quid tum? Partes ſunt nihilominus Rhetoricæ? Sophiſticen idem reiecit in extremos Organi angulos; quam Dialectices eſſe partem; licèt vanè, quanto conatu propugnatis? Cur igitur id quod hiſtrionum eſt; & quod ſuſpicionem adfert malæ cauſæ: Rhetori tribuit?

Sed quid eſt quæſo: quòd Elocutio debeat eſſe naturalis? nimirum hîc vocem hominis intelligis; qua profert animi ſenſa. Ridiculum! Cùm mens eſſet hîc curare Rameos Medice, morbi cauſa penitiùs fuerat introſpectanda. Illi enim Elocutionem non in oratoris lingua ponunt: ſed in ipſo ſermone, cum Dn. Philippo; qui debet eſſe troporum, ſchematum, & figurarū coloribus varijs illuſtratus: *Elocutio numquid naturalis.*

tus:

tus: qui si non adsint sermoni: (si forsitan hunc naturalem voces:) scire debebas, in hoc etiam non esse elocutionem: quæ non est nisi artificialis.

Quid verò tibi vis cum *morata oratione: cum moribus dicentis, quos ipso oratoris genere fieri oportet?* Vbi & in qua parte Rhetorices agitur de morata oratione; de moribus, quibus Rhetor in dicendo debet instructus esse? in Inventione? nequaquam: docet illa inuestigare argumenta in quolibet causarum genere: quibus argumentis, non moribus orator esse debet instructus. Multò minùs in dispositione: vel elocutione. Restat igitur, in actione, de morato dici sermone: de dicentis inter dicendum moribus. De quibus accuratè P. Ramus, ex Cicerone & Fabio collegit per totum librum Rhetorices secundum præcepta. Hunc enim ego moratum puto dici sermonem; qui decenter & moratè sit prolatus. Quem verò tu dixeris, si non hunc intelligis? non video profectò.

Explica igitur te meliùs: quid velis per aurea tua παθητικὰ & ἠθικὰ præcepta. Credo Dn. Philippum nouisse pręcepta istęc aurea. Quid ille de his dicit lib. 1. Rhet. de adfect. *Oportet adfectus & motus orationi addere, in quibus partibus agitur de virtutibus & vitijs. Qui vel leniores sunt, ἤθη: qui blandis verbis efferunt, quæ significationem humanitatis præbent. Alij vehementiores, πάθη: in quibus vten-*

vtendum atrocibus & Tragicis verbis. Hæc ille summatim de præceptis aureis. Vbi si materiam spectes: virtutes sunt, & vitia, item adfectus: ecquid hæc in Rhetoricis tradenda? non arbitror: nisi velis Physicen, & Ethicen in Rhetorica transfundere: nec ipse fecit hoc Aristoteles. Res enim non nascuntur in Rhetoricis: de quibus, & quæ dicendæ sint: sed modus, quomodo de ijs sit dicendum, traditur. Si verò formam: quibus scilicet verbis, & qua animi commotione sint adfectus exprimendi: nimirum hoc ad vnguem Ramus expressit in Rhetoricis suis, & exemplis longè meliùs illustrauit: atq; nullus vnquam vestrorum fecit. Quorsum spectant enim troporum delitiæ? quorsum figurarum tàm in verbis, quàm in sententia motus? quorsum vocis variata modulatio in extendendo? quorsum gestuum accommodatio, ad res verbis expressas? nisi vt adfectus tàm vehementes, quàm lenes rectè per orationem spargi, & animi possint auditorum commoueri. Quid igitur desideras? de moribus in dicendo adhibendis præcipit Ramus noster: præcipit itē de modo tractandi adfectus tàm lenes, quàm vehementes: sublimioribus verbis, & sublimioribus figuris, & altiori quodam vocis sono in adfectibus vehementioribus vtendum præcipit: in lenibus adhiberi moderata flagitat omnia. Quid ampliùs?

Ramus accuratè tradidit in Rhetoricis quæ pertinent ad doctrinam de adfectib.

Mate-

Materiam quod attinet & argumenta, quę in permouendis, & in omnem partem flectendis auditorum animis vsurpamus, per locos Dialecticos eruimus, in rebus ipsis, de quibus est sermo, quærimus. Inuentio enim argumentorum Dialecticæ pars est: siue ab oratore, siue poëta, siue historico, siue physico, &c. instituatur. Persuadere enim est fidem facere: at argumentum est ratio, ipso Tullio dicente, rei dubiæ fidem faciens: argumenta igitur ad persuadendum sunt inuestiganda: ex locis Dialecticis: qui sedes sunt argumentorum: vt præceptor noster D. Philippus docet.

Inuentio est Dialectices pars.

Hoc cùm dispellere nequeas: pro more tuo, Peripatetice, in sannarum & cauillorum campos digrederis: Sophistarum more transponens controuersiæ statum. Res enim non ipsæ in locis inueniuntur Logicis: sed argumenta rerum, hoc est, modus & instrumenta inibi ostenduntur: per quæ possint inuestigari quælibet, ad probationem rei propositæ requisita. Nomines tu cum Theophrasto tuo locos vt volueris: nobis sufficit simplex & sana Dn. Philippi doctrina: qui locum nobis definit lib. 4. Dialect. *sedem argumenti seu indicem monstrantem, ex quo fonte sumendum sit argumentum, quo confirmanda est propositio*: Idem planè de Rhetoricis locis ait lib. 1. titt. de confirmat: *Loci Rhetorici tantùm admonent nos de rebus*

Quomodo loci sint sedes argumentorum.

rebus: Vnde sumendæ sint res in quolibet genere, &c. non vt in isto fonte sit res ipsa; quæ in argumenti naturam venit: sed quod instrumentum rationis sit ibi: quo res in arte sua inueniri, & inuenta ad ratiocinandum queat accommodari. Quicquid igitur in vlla arte est inueniendum; quicquid ad rei cuiusuis, vel declarationem, vel confirmationem depromendum: id in his locis tanquam communibus rationis instrumentis est eruendum: non vt res ipsæ, quæ veniunt ex rei cuiusq; natura, sint hîc effodiendæ: quod tu sentire, siue ex inscitia, siue, quod probabile magis est, ex calumniandi peruicacia, te simulas: sed vt argumenta, quibus res ad vsum rationis accommodamus, sint hîc peruestiganda. Exempli causa, disputetur: ecquid gloria sit appetenda? Probaturus hoc orator, cùm videt, ex rei subiectæ *gloriæ scilicet* hic natura, pendere decisionem quæstionis huius: locos adit Dialecticos: & vt omnia summatim contineat, definitionem præ reliquis eligit: ex hac argumentum conquirit: à definitione gloriæ tale: *Approbatio nostræ conscientiæ rectè iudicantis & aliorum recta iudicantium est res bona & appetenda, &c. Gloria est talis. Ergò, &c.*

Quæritur vnde sumtum sit hoc, quod fidem facit, & persuadet, hoc in themate? Hîc si spectes rem ipsam: quid sit gloria; desumitur illa ex doctrina Ethica: quæ declarat eam.

Si verò ſpectes id: quod ad fidem faciendam, & perſuadendum adhibetur: quod omninò hîc ſpectari debet: vnde quæſo eſt: ſi non eſt argumentum ex definitione ſumtum? Vbi autem definitionis argumentum traditur? in Logica doctrina. Ex fonte igitur definitionis, ex loco Dialectico hoc eſt argumentum depromtum: non ex Ethica diſciplina, quæ rem ſuppeditat, quam definitione poſſum comprehendere. Hæc perſpicua eſt, & ſimpliciſſimæ veritatis de locis Dialecticis doctrina: non ex P. Ramo, ſed ex Dn. Philippo ad vnguem depromta: quam tantoperè Peripateticus noſter deridet, & odiosè traducit.

Audiui, inquit, *qui dicerent: Si medicus velit remedium morbo quærere, locos Dialecticos adeundos.* Ecquis ita dixerit: fides penes auctorem eſto: Sed ſi quis in hac cauſa quid dixit: aut aliter ſe explicuit: quàm tu interpretaris: aut hoc dicere voluit: quòd eiuſmodi remedia, qualiacunq; quæreret medicus, ſi vocarentur ad vſum rationis, ex locis eſſent Dialecticis. Quid enim agit remedium? morbum depellit. Remedium igitur ad hanc depulſionem ſe habet tanquam cauſa: ad ipſum verò morbum, tanquam contrarium: modò verum quod dicitis: *contraria contrarijs curantur.* Sed ad rem propiùs. Medicus viſo morbo, nónne ex effectis, adiunctis, & ex loco cauſarum, quæ vos ſigna dici-

Medicus etiã debet conſulere locos Logicos.

dicitis, & ſymptomata, morbi originem inquirit? origine cognita: nónne tunc vlterius ex loco contrariorum, remedia, quæ contrariam habeant aduerſus morbum qualitatem, quærit? Hoccine eſt adire locos Dialecticos?

Vide candide lector: quis ſit in hoc medico candor dicti huius interpretandi. Verùm vir bonus, cùm hic deridet Rameos: neſcit, ipſum ſe ridere Dn. Philippum; qui hoc exemplo, à medico deſumto, definitionem Logicæ inuentionis illuſtrat lib. 4. Dialect. in princ. *Medicus propoſito ſigno externo, vt velocitate vel inæqualitate pulſus arteriæ ſequitur* LOCVM *ab effectu:* (nota) *ſcit ſigni huius quærendam eſſe cauſam, hoc eſt, fontem pulſus, cor: quærit deinde vnde* (hoc eſt, ex qua cauſa) *cor ſit incenſum.* Vide Peripatetice. Dn. Philippus etiam laborat Ramea ſcabie: quin curas hunc etiam. Cùm dicit: Medico in remedijs dandis, ad effectum, & cauſam eſſe reſpiciendum: nónne dicit idem: quod tu cauillaris, & dente mordes calumnioſo.

De Vergilio quæ dicis, & pictore clara luce ſunt lucidiora. Deſcribens enim moderatorem Reipub., nónne deſcribere debuit argumentis eum ex inuentione Logica depromtis, & adiunctis? Nónne cùm Æneam à rebus geſtis deſcribit: ex effectorum promſit illa loco Dialectico? Eadem ratione pictor

nónne similium argumento, & effectis vtetur potissimùm, in adumbranda melancholię natura? Ecquid hoc etiam non est adire locos Logicos?

At inquies aliundè tamen oportuit eos sumere res ipsas? Ex politicis, & Ethicis Virgilius debuit officia politici magistratus expromsisse! Nemo negat hoc: nec vllus vnquam Rameorum res ipsas, cum rationis instrumentis, quibus apprehendi res debeant, confudit. Res ipsæ sunt ex suis artibus expromendæ: sed expromi non possunt: nec ad quæstionem propositam accommodari; nisi per instrumenta, & ex virib. locorum Dialecticorum. Si tu dicis ista confusa nostris esse: vel profer testimonia clarissima: vel calumniator esto.

Quòd miraris: cur à nostris verba non etiam petantur è Logicis: crassa esset & stupida, nisi simulares, admiratio. Nôrunt nostri suũ cuiq; arti tribuere: nôrunt verborum puritatem grammaticę subiectam: eorundem ornatum Rhetoricæ tributum: rationis autem solius vsum è Logica petendum. Rationes igitur, hoc est, argumenta ex Logicis locis, non autem verba depromunt: quorum ex Grammaticis, & Rhetoricis doctrina pensitanda.

Pergis: *Placétne sodes in rem præsentem venire? fac hodie tibi causam Milonis agendam, & ad extremum animos iudicum ad misericordiam flectendos, &c.*

&c. Hîc tibi in alteram manum do locos illos tuos locupletißimos in altera præcepta Aristotelis, &c. Ita sanè: quidni placeret hæc conditio? cùm semper aliâs vsum aduersus vos vrgeamus. Verùm cùm in oculis omnium sit Ciceronis isthęc oratio; si perspexerimus: vnde sumserit ille suas misericordiæ concitandæ rationes; itidem patebit: quid simili in causa Rameis vsu venire soleat. At ipsam orationem quod attinet; suum statum confirmat Cicero non nisi Logicis argumentis: à causis, effectis, circumstantijs loci, temporis, personarum, à testibus, & alijs tàm artificialibus, quàm inartificialibus argumentis: quæ recensere nimis longum foret: tu vide Iohan. Piscatoris, Beumleri, & aliorum, si non credis mihi, scriptas in hanc orationem analyses. Ad hunc verò, quem pressiùs vrges, Epilogum: scopus Ciceronis est; ad misericordiam mouere iudices; vt clementem de crimine Milonis sententiam ferant. Argumenta igitur misericordiam mouentia fuerunt ipsi inuenienda. Vnde inuenit: *ex Aristotelis miseris* (sic ipse Peripateticus illa vocat) *præceptis*! Nihil minùs. Ex locis inuentionis Dialecticæ; huic rei & negotio accommodatis. Cùm enim ex Ethica doctrina sciret, misericordiæ obiectum esse: si vir bonus sine culpa sua præmeretur aduersa fortuna: peruestigauit eiusmodi locos omnes: ex quibus Milonem, & seipsum patro-

Epilogus orationis Milonianæ.

num ipsius, viros bonos: & fortuna isthac indignos declararet.

A Milonis igitur persona sumit argumenta potissima, ex effectis, & adiunctis ipsius: quòd vir sit fortis, & benè de Repub. meritus: cuius exsilium meritò mouere debeat iudices: idq; passim per antithesin illustrat contrariorum; quòd ille sit eijciendus: qui Rempub. seruasset, qui bonos restituisset. Posteà à testimonio legis naturæ, & effectis, item adiunctis ipsius innocentiam illustrat: quòd ipsius causa gentibus sit probata: quòd Reipub. salutaris: quòd ab omnibus vbiq; locorum laudata. Item ab alijs duobus adiunctis, constantia & æquanimitate: quòd ne quidem lacrymas admittat in tantis angustijs; & æquo ferat animo: quicquid statuerint iudices: quòd idcircò patriæ nolit nocere, vel eam odisse.

A sua persona Cicero sumit argumentum: ab adiuncto: quòd dolore summo conficeretur: quòd ingratitudinis accusandus esset, præter culpam. Ab effectis item: quòd ipse benè de Rep. meritus esset: quodq; frustra suscepisset omnes pro Milone labores. Quæ omnia non modò contrarijs passim illustrat, & comparationibus amplificat, è Logicis: sed varijs tropis, illustribus figuris, exclamationibus, apostrophis, prosopopœis, prolepsibus, & alijs exornat, è Rhetoricis: selectissimis deniq;

deniq; phrasibus, atq; sublimibus verbis dilatat, è Grammaticis.

Hinc igitur, hinc, inquam, Cicero sua misericordiæ mouendę momenta sumsit? Monstra tu mihi vel apicem minimum Peripatetice, qui non ex Logica sit depromtus: & qui non à Rameorum præceptis, in Rhetoricis & Dialecticis sit illustratus. Quid igitur hîc profuerunt Ciceroni frigida tua, de mouendis adfectibus fragmenta? quid opus ex angulis Aristotelicarum subtilitatum, procul remotis istæc eruere: quæ sunt in locis inuentionis illi, qui ex rei propositæ natura vult ea peruestigare, semper obuia? Si Rhetorice inuentio *virgultum est Dialectices*; *& si ex fontibus argumentorum Logicorum deriuantur argumenta Rhetorica*: vt ipse dicis: quæ stultitia est vestra, Peripatetici, quæ dementia? quòd illa ex leuibus surculis & virgultis potiùs: quàm ex stirpe decerpere: & ex putidis lacunis, atq; riuulis potiùs: quàm ipso fonte cupitis exhaurire! Nónne

Dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ?

At pulcherrima illa effata: de vtili & damnoso: iusto & iniusto: honesto & turpi; nunquam (ausim iurare) ex locis Dialecticis facilè educes. Egregia verò effata! Quomodo differunt: iustũ & iniustum, ab honesto & turpi? nimirum vt species à genere. Honestas enim genus est: iustitia species. At si iustitia est argumentum Rhetoricum: cur non etiam pudicitia, veritas, pietas, hu-

manitas, fortitudo, temperantia, &c. Qua ratione statuis argumentum à iusto: cur non eadem: à vero, pudico, forti, temperanti, pio, &c. Ab his enim æquè ducimus in orationibus argumentum atq; ab illo. Quid autem est argumentum ab vtili? cùm vtilitas rei demonstratur. At hæc vtilitas est effectum, vel finis: diuerso respectu. Quid ab honesto: cùm demonstratur aliquod factum legibus conuenire. At hoc est testimonium, vel causa efficiens. Proba contrarium. Cur igitur non dicimus illud ab effecto vel fine: Istud à testimonio, vel causa desumptum? Quid causæ, vt diuersis nominibus res eædem denotentur? cur ex vna arte Topices facimus duas? O peruersa peruersorum iudicia! ô studia iuuenilem ætatem sine fructu consumentia!

Vtile.

Honestũ.

Iuramento Peripateticus suã doctrinam confirmat.

At quia tanta demum causæ tuæ fiducia nunc intumescis: vt iuramento stabilias: quod dicti loci: *vtile damnosum, honestum turpe*, &c. nunquam *facile* (hanc enim tibi periurij metus excussit appendiculã) possint è locis Dialecticis adduci: en, peierasse te, testimonio non Rami; sed Ciceronis, & Dn. Philippi fide dignissimo conuincere paratus ero. Sic enim Cicero 2. de Orat. *Sed tamen animus referendus est, ad ea capita, & ad illos, quos sæpè iam appellaui, locos: ex quibus omnia ad omnem orationem inuenta dicuntur.* Et paulò pòst: *His locis in mente & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum posita excitatis,*

tatis, nihil erit, quod Oratorem effugere poßit, non modò in forensibus disceptationibus sed omninò in vllo genere dicendi. Et 3. de Oratore: *Nam ex locis, quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quæq; genera quæstionum argumenta sumenda.* Vides hoc: de locis agit Logicis Cicero: ijsdem penè nominibus, quibus Ramus, indigetat: attamen dicit quòd ex his generalibus, omnia sint, ad quæq; causarum genera, non ex specialibus, cuiq; generi subiectis, argumenta, deducenda. Vis clariùs? Audi 2. de Oratore: *Atq; isti quidem, qui docent, cùm causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. Quod etiamsi ad instituendos adulescentulos magis aptum est, vt, simulac posita sit causa, habeant, quò se referant, vnde statim expedita poßint argumenta depromere: tamen & tardi ingenij est riuulos consectari, fontes rerum non videre:* (attende Domine) *etiam ætatis est vsusq; nostri à capite, quod velimus arcessere, & vnde omnia manant, videre.*

Sic item Dominus Philippus lib. 4. Dial. titt. de causa finali. *Hinc* (ex causa finali) *sumitur locus Rhetoricus ab vtili, Locus ab honesto accommodatus ad causam efficientem, &c. Hæc* (de honesto & vtili) *ideò adscripsi: vt studiosi admoniti sciant: locos Dialecticos fontes esse locorum, qui in Rhetoricis recensentur alijs appellationibus.* Vide Scherbi: ausisnè adhuc semel iurare? de his ipsis, de quibus tibi res est, agit hic præceptor noster, locis: quos speciales solo nomine, à Logicis

generalibus distinguit. Idem lib. 1. Rhetor. titt. discrimen Dial. & Rhet. *Hoc discrimen ostendit, quid Rhetorica maximè proprium habeat: videlicet elocutionem, à qua ipsum Rhetorices nomen factum est.* Quid verò est Elocutio? Respondet idem lib. 2. Rhetoricorum in prin. *quæ dilucida & perspicua oratione res exponit.* Vide rursus Peripatetice: Dn. Philippus eadem qua nos, scabie laborat. Primas enim & ipse defert elocutioni: quod tu Rameis opprobrio vertis. Si autem elocutio est maximè Rhetorices propria; inuentio & dispositio eiusdem partes quodammodo impropriæ erunt. Nónne sequitur? Idem paullò pòst dicit eodem titt. *quia ratione docendi Rhetores non poterant carere, præsertim in materijs forensibus: ideò Dialecticen etiam admiscuerunt suo operi.*

Sed videamus rem in specie. Inuentionis Rhetoricæ sunt quatuor genera: Didascalicum: Iudiciale, Deliberatiuum, Demonstratiuum.

Didascalicum. Quid ille de primo titt. de generibus caus. *quod* (genus didascalicum) *etsi ad Dialecticam* (vides?) *pertinet, &c.* Idem dicit per totam generis didascalici doctrinam. Quid de Iudiciale.

Iudiciale. *Hi loci* (in genere iudiciali) *pertinent ad causam efficientem apud Dialecticos.*

Ibidem in statu legali: *hi magna ex parte ex Dialectica iudicari possunt.* Et paullò pòst: *Confirmationes & confutationes ducuntur ex causis efficientibus.*

cientibus. Ibidem tit. ex ſcript. & ſentent. *Loci huius ſtatus ſumendi ſunt ex Dialectica*. Paullò pôſt: *hîc iterum nobis eundum eſt ad Dialecticos: nam ex cauſis & effectibus æquitas colligitur*. Ibidem tit. de ambiguo: *ad hunc ſtatum adhibendi ſunt loci Dialectici*. Ibid. tit. Ratiocinatio: *pendet autem tota res à Dialectica, cùm ex cauſa & toto, ex genere, ducitur argumentum*. Quid de Deliberatiuo? *Naſcuntur hi loci* (honeſtum, vtile, facile, &c.) *in locis Dialecticis*. Quid de Demonſtratiuo? totum id Dialecticum: quòd ijdem perſonarum loci in Dialecticis tradantur. Sed quid fit in ipſis adfectibus, de quorum hîc cauſa conqueritur Peripateticus? *Ducuntur ex omnibus locis Dialecticis amplificationes, ad impellendos animos* (attende!) *exaggerata vel dignitate vel turpitudine rei*. *Deliberatiuum.* *Demonſtratiuũ.*

Hæc omnia & plura in hanc ſententiam Dn. Philip. Ex quo candidus Lector perſpiciet, id quod à Petro Ramo adſeritur: & quod per totum caput hoc, friuolis ſannis, & ineptis ſycophantijs traducit, ac irridet Aduerſarius, ab Oratorum principe clarè diſponi: & à Doctorum Coryphæo toties inculcari. Fatetur vterq; locos Rhetoricos eſſe riuulos fontium Logicorum: & ita fatetur: vt ſemper iudicet conſultiùs: ex fonte rationes ipſo repetere: quàm riuulos conſectari. Cur igitur & hos à fœda ſcabie non purgat Medicus noſter? Quid enim ſcabioſiùs dici poteſt de Locis

Rhe-

Rhetoricis, illo Ciceronis: *tardi ingenij eſt riuulos conſectari*, &c? Quid de aureis Peripatetici παθητικοῖς καὶ ἠθικοῖς; illo Dn. Philippi: *Ducuntur ex omnibus locis Dialecticis amplificationes ad impellendos animos?* Quæ igitur eſt hæc tua Peripatetice confidentia: vt, quod huic è diametro contrarium eſt, iuramento ſanctè non dubites adſerere? *Nunquam facilè* poſſe dictos tibi locos generis deliberatiui deduci ex locis Dialecticis adiuras: Dn. Philippus autem facillimè fieri poſſe, & debere, cùm in præceptis Logicis, tùm Rhetoricis adfirmat. Et hoc ratio ipſa: hoc experientia rerum Magiſtra comprobat.

Experire, inquis, *verum me dices*. Expertus ſum Peripatetice: ſed falſum te verè dico. Nullus eſt in iſtoc Epilogo Miloniano rationis apex, ad miſericordiã mouendam faciens; qui non ſit ex argumentorum Logicorum loco quodam depromtus. Prouoco hîc ad omnes Dialecticarum rerum peritos, & ipſorum iudicio me ſubijcio, vel potiùs obijcio: vt vnicum depromant, *aliundè* quàm ex arte Logica, deſumtum. Quòd ſi verum; cur igitur aliundè: quàm ex agro Logico, nos iſtęc etiam depromemus? Nónne ex campo latiſſimo, cui omnis generis florum copia creſcit, facilior eſt, quodlibet decerpendi ratio: quàm ex anguſtis quibuſdam hortulis, qui certi tantùm generis flores, eosq; pauciſſimos proferunt? Et ſi, quod in

Locis

Locis Rhetoricis est inuentum, semper est, si limam velis adhibere, deducendum ad fontes Logicos: vbi veritatis inquisitio: indeq; plenius dignoscendum quæ vesania fuerit; quod vnica, & eadem, atq; faciliore via posset in Logicis inuestigari: id in peregrinis primùm locis disquirere laboriosè: disquisitum ad proprias sedes reducere. At illa reductio necessaria semper est, non modò Dn. Philip. & Ciceronem toties attestantibus; sed etiam ratione flagitante validissima. Scientia enim rei cuiusuis ex eius origine dependet. At fateris ipsemet, negare forsan non audes; Rhetorica argumenta ex fonte Logicorum locorum deriuari. Sicut igitur riuulorum vera natura non potest cognosci, nisi fontem repetamus: & sicut longè salubrior est fontis ipsius aqua, quàm lutulenti riuuli: idem valeat hîc etiam; vt Rhetoricorum argumentorum cognitio solida ex fontis Logici pendeat inspectione: vtq; longè firmior arguendi vis sit, argumenti cuiusuis in propria sede: quàm in alieno domicilio. Haurite igitur vos, & potate, siquidem libet ita, putidas vestras lacunas: nobis ex purissimo & limpidissimo Rationis fonte bibendi melior sententia. Atque ita nullam mutilationem in Rhetoricis oblinere te potuisse: & insuper peierâsse: penes candidos esto iudicium.

DIS-

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XV.
De exterminatione Elenchorum Sophisticorum.

SEd tempus est tandem audire causam, cur elenchi Sophistici, nullam gratiam apud eos inuenerint: Quia, inquiunt, nullum de vitijs præceptum est in virtutis explicatione homogeneum: Immò rectum ipsum index est sui & obliqui. Quid audio? Ergò in arte Medica, non nisi naturalis & recta partium temperies, magnitudo, conformatio, cæteraq́ posthac tradenda sunt: intemperies nulla, febris nulla; morbi organici aut communes nulli: quia hæc omnia sunt vitia & recessus à recto: quod non solùm sui, sed etiam obliqui est index. Cognitio coagmentationis naturalis articulorũ posthac etiam satis erit ad vsum medendi: luxationum et subluxationum differentias, ἐκπλώματα, στρέμματα, διαστρέμματα, διαστήματα, enucleatè persequi inertium & garrulorum Medicorum est. O auream breuitatem: ô artem verè paruam. Eat nunc Gal. cum sua arte parua. Eat etiam Thessalus, qui sex mensibus docebat medicinam: Exortus est, qui fortaßis sex dierum hebdomadis. Eat, quin etiam Theophrastus:

Eat

Eat Seneca, qui ad mores hominum informandos, probârunt non solùm generalia dogmata, verùm etiam particularia præcepta: neq; solùm hæc, sed etiam descriptiones vitiosorum hominum, auarorum, ambitiosorum, diffidentium, impudentium: quales sunt Characteres collecti ab elegantissimo Theophrasto, si index non fallit. Stulti mercatores, qui notas in tabernis suis proponunt, nummorum improborum: stulti pharmacopœi, qui itidem notas tradunt eorum, quæ fallaci imitatione ipsos in fraudem inducere possunt: stultus etiam Hippocrates, qui non solùm monuit, quibus morborum temporibus mouendum corpus sit, sed etiam quibus quiescendum. Stulti, inquam, hi omnes: Qui enim rectum cognouit, omnia obliqua cognouit. Sed estné quæso idem rem actu cognoscere, & potestate cognoscere? An non actus est obiectum intellectus, vt color oculorum? An non omnis confusa & inuoluta cognitio, distinguenda est & euoluenda? præsertim in ijs artibus, quarum perfectio est in vsu rerum singularium, in quibus summa capita & modos discedendi à recto, accuratè explicare oportet. Ab actu enim, aiunt nostri Peripatetici, vnaquæq; res habet, vt sit: ab

actu, vt ab alijs internoſcatur: & vbi actus non appareat, dominari ibi non ens & ignorantiam, ſeu tenebras & nihil. Atq; inde quidem fit, vt materia prima, ſi conſideretur vt poteſtas, id eſt, vt ὕλη *(non autem vt* ὑλικὴ οὐσία*) comprehendi non poſſit, niſi ſpuria ratione: ea item quæ fluunt, id eſt, quæ imperfectum ſaltem actum habent, vt Tempus, Motus, difficulter intelligantur. Verùm hæ lactucæ non ſapiunt durioribus labris nouorum ſapientum. Mittamus igitur. Quòd ſi verò modi diſcedendi à recto, non ſunt diſtinctè explicandi, poterunt nobis redire plumbei Stoici, qui peccata omnia faciebant paria: quia qui eſſet ſub aqua, ſiue profundè demerſus, ſiue non, eſſet ſub aqua. Redire etiam poterunt Pythagoræi, qui* ἀφαιρέσεις *huiuſmodi, omnia faciebant vnum. Audi tu potiùs grauiſsimi Philoſophi grauiſsimum iudicium: Ariſtotelem dico in Rhetoricis: præter hæc autem, inquit, quærere aliquid ſimpliciter & vniuersè de magnitudine & exuberantiâ, nugari eſt. Singularia enim potiora ſunt ad vſum ijs quæ vniuersè diſputantur.*

RE-

RESPONSIO AD CAPVT XV.

CVRATIONIS ita ſcabioſæ credo Medicum noſtrum tandem cepiſſe tædium: quòd ad finem properat? Videamus tamen huius etiam capitis curam prioribus haud diſſimilem. Lis eſt de Elenchis ſophiſticis hoc eſt, regulis, quibus Sophiſtarum fallaces, ratiunculæ refelli commodè videantur. His in arte Logica Ramus locum dare noluit: quòd eiuſmodi præcepta neq; certa & perpetua eſſent: neque neceſſaria; nec etiam ad artis conſtitutionem & perfectionem requiſita. Perpetua non eſſe patet inde: quia ſicut veritas eſt ſimplex & vna: ſic falſitas eſt multiplex & infinita: cuius innumeræ ſunt omnibus ſeculis inuentæ technæ: & inueniuntur adhuc adſiduè plures: cuiuſmodi res in artis præcepta non cadunt. Neceſſaria non ſunt ex eo: quòd *contrariorum contraria eſt conſequentia*, & *eadem diſciplina*, teſte Cicerone: quorum vno cognito cognoſcitur ex aduerſo, quod ipſi contrarium eſt, ſine vlla planiore monitione. Veritatis itaque regula cognita: cognoſcitur id omne falſum eſſe: quod ad illam non congruit amuſſim. Qui enim nouit illud dici cauſam: cuius vi res exſiſtit: is ex aduerſo cognitũ mox habet: illud, cuius vi res non exſiſtit, cauſam non eſſe. Et ita regula veritatis eſt vna ratio, &

Sophiſticen cur ab artis præceptis R. excluſerit.

ſola; qua falſitatem quamuis refutare poſſumus: vt alijs hîc præceptis onerari diſcentes neceſſariũ non ſit. *Contrariorum* enim, vt tuus ipſemet Ariſtoteles inquit, *contrariæ ſunt cauſæ*: lib. 2. de ort. c. 10. *contrarij motus* lib. 1. de cœl. c. 3. *contraria genera* lib. 4. Top. c. 4. *immò contrarium ex contrario eſt conſequens* lib. 2. Topic. c. 3. Deinde quòd Sophiſtice nihil faciat ad artis perfectionem, patet inde: quòd Dialectica munere ſuo perfungi queat, ſine Sophiſtices ope: quòd benè diſſerueritis, qui veritatem inueſtigauit; etiamſi Sophiſtica nulla refutauerit. Hæc enim per accidens irruunt: & arti veritatis ſunt contraria. Cur igitur illa partem facerent artis, quam expugnent, & ad quam, non, niſi per accidens, deueniunt. Attamen, inquiat, aliquis: *verum præ falſo ſæpè non adgnoſcitur*: ideoq; neceſſitas poſtulat, vt falſa refutentur? Eadem ratione liceret dicere: præ diſcordantibus quorundam ſonis, ipſa non ſemper harmonia poteſt in Muſicis aduerti: de his igitur dijudicandis præcepta ſunt in Muſicis danda.

Sed audi, quiſquis es: ſi quid incidat, quod præ tenebris & contrarijs opinionibus intricatum ſit: quid agis? Nónne rem ipſam, de qua lis eſt, tibi proponis; illius naturam inueſtigas penitiſſimè: & exinde demum quid pro certo ſtatuendum ſit, definis? ita quidem. Sed hoc, quod verum eſt, indagato: nónne refutas ex

ijſdem

ijsdem fundamentis, ex quibus exstruxisti verum, falsas & contrarias opiniones: nónne illas idcircò reijcis; quòd cum rei natura pugnant rectiùs inspecta? Non aliter ages scio, si conscientiam tuam compellaueris. Quippe si veri cognitio tibi perspecta sit, ex certa causa: falsum continuò refutas ex eadem: quòd vera causa non sit subnixum. Exempli causa: si vocetur in controuersiam: num Cicero sit delectus hæres æternæ vitæ: cuius adsertionis Erasmum non puduit in epistola quadam: primùm rem ipsam diligenter inquiro: quis sit heres æternæ vitæ: nimirum solus ille; qui cognouit Messiam certa fide. Hac posita veritatis regula: quid opus est alijs præceptis, è quibus opiniones repellantur falsæ. Dictat enim mens ipsa: si fides in Messiam causa est salutis æternæ: vbicunq; fides illa non est, ibi salutem esse nullam. Cicero itaq; beatus dici nequit, quòd causa beatitudinis adipiscendæ sit in ipso nulla. Iam si disputet Erasmus: Ciceronem conscientiæ vim prospexisse, virtutibus præditum multis, integritate, vitæ conspicuum fuisse: quid agis? Cognito vero & recto quæcunque proferuntur alia, necesse est, sint obliqua. Ex recti igitur fundamento dico: istas causas esse falsas, & euanidas: è quibus effectus sequitur nullus: plus enim vno verum non est. At fides est vnica salutis causa: corruunt igitur omnes aliæ. Similis est & per-

Erasmus de salute Ethnicorum beata.

petua refutandi ratio in omnibus: vt cognitis veri fundamentis, cognita sit falsi refutandi regula: sine vlla Elenchorum Peripateticorum opera. Quid hic autem Medicus noster?

Non refutat hæc nostra: sed ex medica sua doctrina nobis hunc obicem ponit: *Ergò in arte Medica, cognitio sani corporis sufficit, sine morborum cognitione.* A paribus hæc tua desumta ratio: vt, quia in arte medica morborum notitia necessaria est: ideò sit etiam in Logica, doctrina falsitatis: cùm de paribus vel similibus idem sit iudicium. Sed videamus ecquid paria sint; verum & falsum; sanitas & morbus.

Quomodo veritas Logico proposita.

Veritas finis est Logicæ summus: vt inquiratur in re qualibet incerta, & dubia: inquiri potest autem, si non sit abscondita nimis & abstrusa: ita quidem: vt in Logici manu sit suis instrumentis eam latentem producere, vel saltem, quod vero simillimum. Falsitatis autem repellendæ ratio non habetur: nisi forsitan in veritatẽ faciat impetum: quod tamen non semper contingit: cùm multoties inquiratur verum: cuius ex aduerso falsitatis rationes adpareant nullæ. Attamen hæc ipsa repulsio non est necessaria: cùm veritatem claram licèt premat: supprimere tamen & internecioni dare nequeat. Quamuis, dubitationis ex aliorum animis tollendæ gratia, sæpè soleat ex fonte veritatis, & ijsdem veritatis inquisitæ machinis falsitas amoueri. Et ita semper

per veritas, per se, finis est Logici summus: per accidens autem, falsitas aliquando subordinatus.

Sanitatis autem cura propriè medico non est proposita: quippe *non eget medico qui sanus est*, ipsa veritate contestante apud Euangelistam. Per accidens autem, quatenus à morbis metuitur supprimenda, venit in considerationem Medici: sed ita tamen: vt solius morbi sit abigendi summa cura: non sanitatis producendæ: quæ naturæ donum est, nec vlla potest arte medici parari. *Quomodo sanitas Medico spectetur.*

Quamuis igitur in eo conueniant Logicus & Medicus: quòd ille falsitatem à vero dicto: iste morbum à sano corpore repellat: dispar tamen repulsionis est vtrobiq; ratio. Ille enim solius habet veritatis rationem, quam certis modis inuestigat, & munit vndiq;: deinde modis ijsdem, si lubet, falsitatem repellit: vel planè negligit. Prostrata iacet enim per se: licèt non refutetur, nec vlla ratione potest inquisitæ veritati nocere. Hic verò solius morbi curam principaliter suscipit: nec de sanitate quærit: (de qua plerunq; dubitat, ne quid adhuc supersit:) priùsquam morbum prostrauerit. Quo prostrato suo functus est officio: sanitatem non produxit, nec inquisiuit: sed à morbo liberauit: hic necessariò morbum depellit, nisi sanitatem necari velit: hic non ijsdem, quibus sanitatem tuetur re-

medijs, morbum depellit: sed diuersis, & sæpè contrarijs. Logicus ex fonte veritatis eodem refutat falsitatem: Medicus etiamsi sanitatis optimam nouerit constitutionem: nunquam tamen illa morbum depulerit: alijs hic instrumentis eget: alijs præceptis. Qui nouit causam sanitatis; is morbi causam non habet inde cognitam. Breuiter: Medici scopus est summus curare morbum, non ex cognitione corporis sani: sed ex cognitione causæ morbi: & remediorum morbi vim pellentium. De bona corporis sani constitutione scientia per se medico necessaria non est: vtilis tantummodò, propter morbi causas rectiùs dignoscendas: ad morbum pellendum penè nihil illa facit: immò sine illius scientia morbus propelli quiuerit: vt Empirici testantur. Proinde quibus corpus sanum conseruatur remedijs: non ijsdem morbus depellitur. Secus hæc omnia se habent in Logico: qui falsum non potest refutare: nisi ex causa veri.

Quid igitur Medice tibi vis, cum hac plumbea instantia? Morbi naturam medicus ritè cognoscit: quia subiectum est ipsius vnicum & solum: & medicina sine morbi doctrina nulla: nihil aliud nouit, quàm morbum. Non autem sic est in Logica: quæ verum principaliter inquirit: & sine falsitate suo munere fungi potest. Vide Lector optime, quàm bello sophismate doctrinam sophisti-

phisticen defendit Peripateticus: scilicet dignum patella operculum. Dicebat ita te falsum falso defendere? Nisi fortasse negaueris esse fallaciam: quòd tuus Aristoteles inter ieiunas suas fallaciarum particulas, *à paribus* fallaciam non comprehendat. Inclames hîc, & subsanneris tuo more, quantum velis: ab hac te Sycophantia non liberabis: quam vidit eandem, vel ex hoc fonte similem, publiceq́; contra te propugnauit, in illustri Cattorum schola disputando Hieron. Treutlerus Eloquentiæ professor, & Iurisconsltus omni laude dignissimus; at, quod dolendum tibi fortè videbitur in homine præstantissimo, scabie, quam tu scabis, non minùs, immò fortasse magis, atq; nos, infectus. *Dispput. Miscel. ordin. 26. Marpurgi.*

Sed pergis: *In Ethica requiruntur etiam descriptiones vitiorum.* At nulla necessitate. Doctrina virtutum proponi potest, sine vitiorum farragine permixta. Iustitia est virtus, suum cuiq; tribuens. Hinc confestim scio: iniustitiam esse vitium, suum cuiq; auferens, vel tribuere recusans. Cognita namque virtutis regula: quicquid ad illam non congruit, vitiosum censebitur.

Perge: *Stulti mercatores, qui notas in tabernis proponunt improborum nummorum: stulti Pharmacopœi, qui notas tradunt eorum quæ falsa sunt, &c.* Idem respondeo: non necessariò sic facere cogi pharmacopœos & mercatores: sed vt rudi-

tati consulant suorum famulorum, vel suæ etiam. Quippe si scirent omnem probæ formam monetæ: Sicuti Logicus scire debet, verum: non opus esset improbos ob oculos ponere nummos: cognitis enim his, qui probi essent: cæteri, qui non essent eiusdem formæ, vel pueri iudicio censerentur improbi. Dissimile autem & hoc exemplum: cùm numerus ibi monetæ adulterinæ certus sit: mendaciorum autem & vitiorum vagus ac infinitus. Idem de Pharmacopœo dicendum.

Sed cur lubet affanias istiusmodi proferre? quid pharmacorum & nummorum notitia facit ad artium Philosophiæ scientiam & descriptionem? quænam inter Logici & Pharmacopœi præcepti proportio? Pharmaca fortassis à professione tua non admodum essent aliena; at ex mercaturæ plebeia fece, quam Cicero putat inter officia referri sordida: licèt id ego dicere nolim: præcepta dijudicare philosophica; vt, si fiat hoc in mercatura: fieri quoque debeat in philosophia: tàm est insulsum; quàm quod est maximè.

Falsum etiã actu cognoscitur ex præcognito vere.

At, inquis, *idem nõ est actu rem cognoscere et potestate: omnis confusa & inuoluta cognitio distinguenda est.* Quis negat? & hæc cognitio contrarij, contrario præcognito subsistit in actu; non in potestate duntaxat. Cognito enim vno ex contrarijs: alterum cognoscitur mox eadem via: & ex eodem fundamento, sine planiore doctri-

doctrina. Quod suprà licèt probatum satis sit, ex ipsomet Aristotele: attamen ne putes in hac Ramum sententia stare solum, vide quæso, sobriaq; mente perpende mihi quod dicam: *in ijs rebus in quibus alterum inest necessariò, aut non inest; veluti in homine, vel morbus inest, vel valetudo: si de altero possumus disputare in vtramq; partem: de altero etiam poterimus.* Nostin' hoc, cujum sit dictum? Aristotelis tui 2. Top. cap. 2. Nónne hoc idem est atq; si dixisset: Qui vnum cognoscit actu: alterũ etiam cognoscit. Si enim potest disputare de altero, necesse est, vt actu prius illud nouerit. Id. 2. de orat. Cic. *omnium rerum in contrarias partes cognitio ex ijsdem suppeditatur locis.* Idem quoq; Iustin. Imperat. institut. lib. 1. tit. VIII. *Si cognouerimus, quæ istæ personæ sint:* (nimirum alieni iuris) *simul intelligemus quæ sui iuris sunt.* Idem repetit eodem lib. tit. XIII. Vide Scherbi, hîc ita claram statuit hanc cognitionem contrarij, ex alterius prænotione: vt vno declarato, alterius declaratione, tanquam per se nota ipso actu, supersedeat.

Quòd de inuolutorum distinctione quæris; eodem modo se res habet. Ecquid enim vitium confusè & inuolutè ex definitione virtutis cognitum non euoluitur, per singulas virtutum, vel minimas species euolutas? Sicut enim ex genere contrarium genus explicatur: sic ex singulis speciebus, species contrariæ.

trariæ. Eadem res eſt in Logicis. Vt enim veri texendi rationes ordine numerantur per ſpecies, in ſingulis argumentorum locis: ſic ex ijſdem falſis comminiſcendi formæ contrariæ ſubintelligi poſſunt, ab illo, qui priores dignouit accuratè. Impoſſibile eſt enim, qui nouit: verum adiunctum eſſe, quod præter eſſentiam adiungitur ſubiecto: eundem non nouiſſe: ſi quid præter eſſentiam non adiungatur, adiunctum verò falſum.

Materia prima.

Nihil autem facit ad hanc rem: quod de materiæ primæ, motus, & temporis difficili cognitione ſubtilitatis loco producis. De materia certè prima, fateor, illam quomodocunq; concipiatur, *non niſi ſpuria*, hoc eſt, falſa, futili & inepta, *ratione comprehendi poſſe*: ſicut ipſe dicis: nihil profectò verius, in hac tota diſſertatione. Quis enim cognoſceret illud ſtupidum ſomniantis Ariſtotelis figmentum; quod *ſub ſenſum non cadit*, ipſo teſte, lib. 2. de ort. cap. 5. *quod per ſe nec aliquid, nec quantum, nec quicquam, aliud eſt eorum, quibus id, quod eſt, definitione aperitur*. 6. Metaph. cap. 10. Quomodo autẽ materia conſiderabitur, vt ὑλικὴ οὐσία? Si eſt eſſentia: neceſſe eſt, vt ſit incorporea? quia ſub ſenſum non cadit. At ſi eſſet incorporea: ſeparari poſſet: quod negat Ariſtoteles dicto loco de ortu. Incorporea ſi tamen eſt: quomodo corporeæ rei materia? Sed mittamus illa: *quæ non niſi ſpuria ratione poſſunt comprehendi.*

Cur

Cur autem motus dicitur in actu esse imperfecto: nónne motus est actus ipse? Quomodo tempus in actu: quod est adiacens rerum durabilium, nihil agens? Vbi difficultas illa motus & temporis intelligendi? Credo sanè difficillima vobis esse hæc, & pleraq; omnia, spinis Aristotelicis irretita. At volentes & sponte vobis istanc imponitis difficultatem: quòd inexplicabiles exosculamini Doctoris vestri nænias: quibus omissis, & motus, ac temporis natura, qualis est ex seipsa, & in communi vsu, conspecta, tàm facilis est & plana, vt tirones nostri mediocriter illam percipiant.

Quòd de Stoicis ibidem garris, peccata paria facientibus; nihil ad nos attinet. Cùm enim Ramei dicunt: ex recto cognosci obliquum: non prohibent obliqui discrimina seruari: sed hoc contendunt: illa ipsa etiam ex recti cognitione prouenire. Inter obliqua enim vt aliquis discernat, quàm propè, & quàm procul absint à recto: discernere nunquam potest: nisi rectũ sibi proponat: ex quo facilè dignoscit obliquorum inter se discrimina: quàm procul, & propè sint à recto disiuncta. Quàm igitur futilis hæc sequela: peccatorum doctrina in Ethica non est necessaria. Ergò peccata sunt paria.

Sed cur adferre tibi libuit hîc Aristotelis dictum? nihil aduersus vos potest argutiùs

adfer-

Ad singularia properandū: nō diu hærendum in generalib. artibus.

adferri. Sensus enim hic est: *Singularia potiùs esse quærenda: quæ sunt ad vsum: non semper in vniuersalibus hærendum.* Quid inclamant, & inculcant Ramei magis: quàm vt in vniuersalibus breuissimi simus: ad singularia properemus? Ecquid vos hoc facitis in Logicis: disceptatis per ante, & post prædicamenta, per priora, posteriora, topica, sophistica, &c. multos annos: nec vllum ex vsu, vel ad vsum profertis exemplum: nisi quod est abecedarium. In Physicis: proh hominum fidem! hîc statim eundum erat ad res naturales: primùm ad naturas simplices: postea concretas & harum species: metalla, herbas, animantia, &c. Hæc enim singularia sunt quorum est vsus in vita communi. Vos discipulum hîc implicatis, vagis principiorum somnijs; motu perplexo: loco; tempore; deniq; infinito: & postremo vacuo? Nimirum vt euacuetur omni scientia, & eruditionem sibi comparet infinitam: cuius neq; caput neq; pedes nouerit: neq; initium neq; finem. Dehinc in mare Metaphysicum conscenditis; vt in identitatis, quidditatis, realitatis, &c. insulas eum deportetis. In quibus circumuagandis, nisi resiliat ipse, suo vel alîus meliore consilio, senescere & intermori sæpissimè contingit. Ita vos obseruantes estis, huius tam præclari dogmatis: quòd vnum ex præciosissimis est Aristotelis gemmis toties à Rameis decantatum, toties exprobratum vobis.

bis. Gratias igitur habeo tibi: quòd illius ex Aristotele, quod penè exciderat, hîc mihi memoriam refricueris.

Quid igitur erit? inquies: *stultinè sunt omnes, qui rectum obliquo collustrare conantur?* Stulti potiùs illi: qui sic argumentari solent. Doctrinam Sophistices ab Arte Logica remouendam censuit P. Ramus: quòd ars ipsa sibi constare posset, sine illa: quodq; rectè dijudicari nequeant fallaciæ nisi ritè præcognitis veritatis Regulis. Cùm itaq; artes debeant esse perquàm breues, & perspicuæ: non nisi necessaria præcepta, voluit admitti. His cognitis, & semel atq; iterum repetitis: cùm radices firmas in animis tironum fixissent veritatis præcepta: tùm demum voluit extra artem, ingenij exercendi causa, & ad præcepta magis declaranda, varias fallaciarum strophas proponi, & exercitio Analyseos à tironibus euolui, solideq; ex ipsis veritatis regulis, ijsdemq; terminis artis, non ex nouis præceptis vel normis refutari.

Ecquid fallaciarum doctrina ferenda.

Hæc est vera Sophistices tractandæ ratio. Quid vos agitis? posteaquam prima vix rigastis discipulorum labra præceptis artis: statim detruditis illos, in vastum, & vagum Sophistices Oceanum: antequam veritatis regulas solidè præcognouerint. Et ferendum hoc: si fortè tunc ad eosdem reuocaretis eos veritatis fontes antè delibatos: verùm hîc noui termini:

Breuis descriptio vulgatæ fallaciarũ doctrinæ.

mini: monstrosa vocabula. Præmittuntur leues quædam tricæ, de fallacijs dictionis ex Grammaticis, & Rhetoricis præceptis meritò dignoscendæ: non in Logicis. Dehinc tota Logicarum technarum summa proponitur septem classibus: quarum vna: *secundum plures interrogationes* planè friuola: cuius genuinum nemo proferre potest exemplum. Alia, *petitio principij*, fallaciam non habet argumenti, sed ordinis tautologiam scilicet. Duæ sunt æquè latæ, & fallaciarum non species: sed genera: vt nullum possit fraudulentæ argutationis exemplum dari; quod non possit: *fallaciæ consequentis, vel ignorationi Elenchi* subijci. Ex falsa enim consequentia, & ex ignoratione Elenchi fluit omnis fallacia. Tres duntaxat supersunt, ex ipsis desumtæ fontibus: quamuis varijs irretitæ tricis: duæ ex causis: *accidentis* & *secundum non causam.* Reliqua ex loco distributionis: *à dicto secundum quid*, &c.

Hîc igitur cruces videas, & angores discipulorum, ecquid ad hanc, vel illam, fallacia quæuis, classem referri debeat, dubitantium. Ne dicam; quòd fontes ipsi non attingantur; nec ex ijs, quod fieri debebat, solidæ petantur responsiones. Pleræq; enim omnes fallaciæ duobus hisce, *accidentis* & *secundum quid* cothurnis includi solent. Hæc illa, pro qua tantopere digladiantur, Sophistices plumbea doctrina: quam, cùm discipulis, nondũ iudicio firma-

firmatis, per veritatis præcepta, obtrudunt: in Labyrinthos inextricabiles eos præcipitant: vt neq; veritatis: neq; falsitatis certam reddere rationem queant.

Verùm aliter hæc res se habet. Quot sunt veritatis regulæ: tot etiam falsitatis erant genera constituenda: ex vnoquoq; veritatis præcepto, speciales fallaciarum technæ deducendæ, per genera & species subalternas: & ex ijsdem veritatis præceptis fallaciæ refutandæ. Noua sunt hîc præcepta nulla: offeruntur duntaxat exempla fallaciarum: in quibus euoluendis, & detegendis ex norma veritatis exercere se debent ingenia: vt, oblata sophistica ratione, perspicere mox possint: quam veritatis regulam violet illa: quo perspecto, perspecta statim refutationis norma. Fallaciarum igitur doctrina nihil est aliud; quàm vsus, & exercitium præceptorum artis Analyticum: extra artem, & solidè cognitis artium præceptis instituendum. Quam ita P. Ramus in scholis explicuit, & adseclæ ipsius, Dn. Beurhusius, Sohnleuterus, & nuper vir doctiss. Buscherus declarârunt: vt vestræ, præ illis, ineptæ nugæ videantur, ac reuera sint, & aniles fabulæ.

Calumniæ sunt itaq; fœdæ: si dicitis: *Sophisticen à Rameis nullo haberi loco.* Nulli melius excoluerunt illam. Videant, qui videre possunt. At hoc interest: quòd vos eius particulas

quas-

quasdam vagas, intricatas, & perplexas ipsis præceptis infarcitis, vt discipulorum turbetis animos, antequam præcepta veritatis cognouerint: Ramei autem priùs accuratè veritatis normas inculcant: & postea in vsu, extra artem, singula artis præcepta, varijs fallaciarum exemplis, ad exercenda discipulorum ingenia declarant, & rationem refutandi ex ipsis fontibus ostendunt. Vide Schol. Dial. P. Rami lib. 19. & 20. & postea dignosce: nullamnè gratiam Elenchi Sophistici apud Rameos inuenerint.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XVI.
Iudicium de nouis Dialecticis.

QVid igitur? Nouam Dialecticam nullo tu numero habes? An non saltem tironibus eam vtilem censes, quibus subtiliora oneri sunt & impedimento? Aliud enim est ἁπλῶς ἀγαθὸν, *aliud* τινί. *Ego verò, vt dicam sine præoccupatione animi, non possum adhuc videre causam vllam, cur tironibus illam ex vsu putem. Intuearis ipse quoq; eodem animo (malum enim præiudicium, quod caret iudicio) Galeni libellos ad introducendos, & conferas cum commentarijs ad prouectiores, facilè agnosces, quid sit in hoc genere* τινὶ ἀγαθὸν, *quid* ἁπλῶς:

ἁπλῶς: Videbis, aliud esse introductionem, aliud abductionem. Quod considerans Imp. Iustinianus, Institutiones iuris nouas, ad suam Νομοθεσίαν *accommodatas voluit confici, quamuis plurimæ tùm extabant aliorum institutiones.*

Vide Donel. quid de Methodo Iustin. dicat, lib. 1. Com. c. 1. In Instit. omnia meliore ordine tractãtur, Don. l. 2. c. 1.

RESPONSIO AD CAPVT XVI.

NVLLVM, crede mihi Peripatetice, caput auidiùs adspexi: quod iudicium de Ramea Dialectica promiteret. Iudicia enim cùm soleant ex accurato sensu prodire: maximè illa, quæ se controuersis interponunt rebus, post varias multorum, hinc inde variè disceptantiũ, sententias: cuiusmodi hoc est tuum: spes erat equidem non parua: reperturum me solidi quidpiam: quod ex vsu mihi foret. Legebam: relegebam, secundò atq; tertiò: simul admirans, quod nihil videre possem: prę crassitie fortè nostra metuebam: ne subtilitas quæpiam meos subterfugeret sensus. Sed relegendo toties nihil adhuc reperio. *Sine præoccupatione animi* dicturum te simulas. Quis credet? Hactenus acerbissimis per XVI. C. pagellas, hanc nouam Dialecticam, & ipsius Auctorem, proscidisti conuicijs; Aristotelem verò propugnasti totis viribus: & crassissimos ipsius errores quouis etiã leuissimo prætextu,

contexisti: apertè dixisti: non posse te illi diffidere: qui duobus ferè millibus annorum tam præstantes sectatores habuisset: & iam *sine præoccupatione animi* de rei summa dicturum te protestaris. O protestatio facto contraria! Quid est præiudicium: si hoc non est: ab antiquitate, ab auctoris præstantia: à tot testibus; & suffragijs desumtum? Quî fieri potest: vt sine adfectu, & præiudicio capitalis inimicus contra inimicum ferat testimonium! nunquam persuadebis hoc Iurisconsultis: etiamsi *iurare ausis.*

Iudicium de Rami Logica.

Dic tamen: *non possum adhuc videre causam vllam: cur tironibus illam ex vsu putem.* Causam igitur tu monstra, quæso, nobis: cur non putas illud? *Intuearis Galeni libellos ad introducendos, & conferas cum commentarijs ad prouectiores: agnosces quid sit* πνὶ ἀγαθὸν; *quid* ἁπλῶς. Itanè? Vide Lector optime: risum cohibe. Per tot paginas Peripateticus hic noster iracundo bachatus est animo, in viros æterna dignos memoria; præclara Germaniæ, Galliæq; lumina: iam cùm in arcem causæ debet inuadere: cùm de capite tractatur ipso: cùm rationem reddere sui debet asperrimi iudicij: cùm morbi causam proferre: quid agit? aculeo se subducit infixo: oraculum edit: cuius interpretationem alij demandat: sententiam profert, & eius defensionem Galeno tradit. At cur noua Dialectica non est bona? *Intuearis Galeni libellos,*

&c. Quid verò tironibus, quibus cum tibi res est, cum Galeno rei? illorumnè captus hic est; vt immensa Galeni volumina non modò percurrant: forsan enim hoc præstari posset, ab aliquibus: sed de scriptis ipsius, & Methodo dijudicent! Non de Galeni medicina lis est: scripserit ille, quomodocunq; voluerit: sed de *Rami Logica.* Hic Rhodus! hic saltus! Galenus ista vel illa ratione sua medicinæ decreta tractauit: Ergò Ramus eodem modo Logica tractare debuit. Quid censen'? bona ne sequela? scilicet; similis illi ex iure pontificio: *corpus humanum constat ex quatuor humoribus: Ergò matrimonium non debet inter consanguineos concedi, intrà quartum gradum. Exemplis non iudicatur: sed legibus.* Neque decet Philosophum τὸ οὕτως εἰπόντα ἀπηλλάχθαι: quod Anaxagoræ meritò, non in dissimili negocio, tuus exprobrat Aristoteles 3. Physic. acro.

At ratio tamen exponenda nobis: condemnari nemo potest, neq; debet, sine iustissima, & euidentissima causa? Dic igitur cur Rami Logica non est bona tironibus? *Aliud est introductio: aliud abductio.* Nimirum hoc vis P. Ramum nos abduxisse suo compendio à Peripateticorum trita semita. At hæc petitio principij. Quis enim Ramum, & alios Philosophos alligauit ad Aristotelis dicendi, vel scribendi rationes perplexissimas? quis illius hac auctoritate muniuit libros: vt ab eis recedere,

vel digredi nemini liceat. Verumtamen hoc concesso, quòd in æternum non probauerit vllus Scherbius, vllus scabiei Medicus: demonstranda fuerat abductio: quòd Ramus ab Aristotelis organo nos abduceret.

In hoc agitur de prædicabilibus, prædicamentis, propositionibus, syllogismis, & locis argumentorum. Principes hæ sunt partes non negaueris. De ijsdem agit P. Ramus: licèt non eâdem semitâ. Prædicabilia enim & prædicamenta, quatenus argumenta sunt & locos in doctrina proponit inuentionis: propositiones & syllogismos in dispositionis. Vbi igitur abducit suos Ramus: quos per eosdem limites, ad eandem deducit metam, veritatis inquisitionem? Abducit equidem fateor: sed abducit à varijs & perplexis ambagibus; ab erroneis diuerticulis: ab irremeabilibus Labyrinthis, per regiam Methodi viam. Hanc abductionem probaueris: præterea nullam.

Quomodo Ramus ab Aristotele suos abducat.

Si cordatus esses Philosophus: altiùs ire: non in lacunis Aristotelicis te volutare debebas. Logicæ fons est, & norma: *Ratio naturalis*, insita nobis diuinitus: hæc regula; hæc amussis: hic scopus. Ab hac quòd seduceret Ramus, Logica sua, suos discipulos: id demonstrare, fuisset alicuius operæ.

Quid igitur adfers tandem? petitio principij non probat. Nimirùm subolfaciens, ita

te non

te non satis facturum crassitiei nostræ: Dn. Iustiniani Imperatoris nos territare laboras sanctione: quòd is ad suam nomothesiam, in Digestis, & in codice suum direxerit Institutionum compendium. Possem hîc obijcere: quomodo verisimile fuerit hoc: cùm Institutiones primò omnium conscriptę: postea Digesta: deinde Codex: longo pòst interuallo Nouellæ. Quî fieri namq; potest, vt Institutiones ad Nomothesiam direxerit: quæ nondum erat? Possem hîc etiam respondere: quid ad te philosophum spectat: quam rationem Iustinianus suis præscripserit iuris studiosis? Verùm putas hanc etiã ex omni parte perfectam Methodum? Si de Nomothesia quæras ipsa, in Digestis & Codice comprehensa; respondebit tibi lib. 1. comment. Iur. ciu. cap. 1. tuus olim Collega Donellus, colendę memoriæ vir; & Iurisconsultus hac ætate celeberrimus: *si titulorum vel membrorum iuris coagmentationem spectes: omnia esse peruersa & dißipata.* Si positiones ipsas in singulis titulis: *summam rerum esse confusionem* Si de Institutionibus autem: vide, quid Math. Vesen. Germaniæ Iurisconsultorum princeps in pr. Instit. de iust. & iur. *commendent artificium et methodum architecti nostri* (Iustiniani) *quamlibet velint, ac poßint: res ipsa loquitur aliud, & leonina detracta Arcadicum germen ostendit.* Quid idem ad §. 2. Institut. de testam. *laudent qui volent, quantum volunt, hos*

Ecquid Methodus Iustiniani iuris certa.

elementarios libellos. Mihi nec materies, nec Methodus, si qua tamen adhibita est, neq; hîc, nec in alijs horum collectorum operis placet, &c.

Quid igitur Institutiones producis: de quibus idem desiderant interpretes pleriq; : quod Ramus in Aristotele. Qui profectò sunt in eo longè vobis candidiores, & meliores: quòd, cùm habeant auctoritate Cæsarea præmunitam iuris docendi Methodum; à qua recedere non debeant: multò meliorem Aristotelica vestra: pleriq; tamen omnes aliam commodiorem exoptent: reliqui diuersas ab illa, vel per ipsos Rameæ doctrinæ sectatores conscriptas minimè fastidiant: im̃ò legant, & adprobent: tantum abest, vt illas more vestro rabiosiùs allatrent, & vndique proscribant.

Non est eadem Methodus Institutionũ iuris: quæ est Digestorum & Codicis.

Attamen, si vis ita: videamus: ecquid in Institutionib. scribendis Imperator eandem sit Methodum secutus: quam Nomothesia præscripsit. Institutiones agunt de *manumißis: nuptijs: adoptionibus: postliminio: tutelis: capitis deminutione: rerum diuisione: acquirendo dominio: seruitutibus: vsufructu: vsucapionibus: donationibus: testamentis: in officioso: legatis: codicillis: succeßionibus: ab intestato: bonorũ poßeßionibus: mutuo: commodato: deposito: pignore: verborũ obligatione: emtione: locatione: Emphyteusi: societate: mandato: negocijs gestis: solutione: furto: Aquilia: iniuria: deiectis effusis: nautæ, caupones, &c. actionibus: vindicatione: quòd cum eo,* qui

qui in potestate, &c. noxalibus actionibus: si quadrupes pauperiem, &c. satisdationibus: exceptionibus: interdictis: possessionibus: ad exhibendum: publicis iudicijs. In digestis autem, quorũ ordinem Codex ferè sequitur, agitur de illis, hac serie: *adoptionibus: diuisione rerum: satisdatione: negotijs gestis: capitis deminutione: nautæ caupones: in officioso testamento:* vindicatione: *Emphyteusi: vsu fructu: seruitutibus: si quadrupes: Aquilia: deiectis effusis: noxalibus actionibus: ad exhibendum: mutuo: pignoribus: quòd cum eo qui in potestate: deposito: mandato: societate: emtione: locato: nuptijs: tutelis: testamento: codicillis: legatis: bonorum possessionibus: successione ab intestato: donationibus: manumissis: adquir. dominio: possessione: vsucapionibus: interdictis: exceptionibus: actionibus: obligationibus verborum: solutionibus: furtis: iniurijs: iudicijs publicis: postliminio.*

Vide lector optime; nullus omninò titulus cum titulo cohæret: omnia sunt in Institutionibus inuersa, plurima sunt omissa, maximoperè necessaria: audet tamen hic Peripateticus persuadere nobis Institutiones ad Digestorum formam adfabrè compilatas: cùm planè in omnibus ab ordine Digestorum recesserint, vt ocularis demonstratio probat. Qua igitur fronte, & quo animo potuerit hoc scribere; videat ipse.

Insuper perpende: qua fide possint tàm acerbas, de Rami scriptis, ferre sententias, asperi iudices: qui nullas omninò sui iudicij

Iudices de Ramo nullas [illegible]

iudicij causas. causas proferre valeant. Trium meminisse potui, nostra ætate, iudiciorum de Rami philosophia publicis scriptis interpositorum. *Zach. Vrsinus de Ramo.* Primum est Zach. Vrsini Theologi: qui cùm per duas penè pagellas de multis à Ramo prætermissis, confusis, falsis, erroneis, & impropriè dictis conquestus esset: cùm ad probationem esset transeundum, sic infit: *hæc & id genus alia non exigua errata & vitia in nouis istis libris, &c. demonstrari possunt. Demonstra quæso? id verò hoc loco prolixiùs foret: sed nec requiritur: vt quod ad scholas magis pertineat.* *Iustus Lipsius de eodem.* Secundum est Iusti Lipsij magni philosophi, qui 1. cent. Epist. XIC. ad Paul. Busium, de Rami scriptis ita: *Iuuentus nostra à me hoc audiat: nunquam ille magnus erit, cui Ramus est magnus.* Qua de causa, quæso, præstantissime Lipsi: *pergebam in hac scriptione: reuocant me tuæ occupationes.* *Philippus Scherbius.* Tertiũ est Phil. Scherbij: de quo nunc agimus, plenè simile prioribus. Ita nemo ex his vllum posuit apicem probationis saltem leuioris: cùm tamen immitissima dare iudicia non erubuerint. Quid hoc autem iudicij? si mala sunt Rami scripta: cur illud è vestigio non demonstratis Aristarchi? cur vos subducitis? Tale facere iudicium cuiusuis est: etiam triobolaris, vt Scherbi dicis, Bacularij: nec maiorem nobis facit fidem: licèt magni vos sitis. Tantum enim credimus: quantum nobis probare potestis. Quod autem probatur firmiter: accipimus

æquo

æquo semper animo: licèt vilissimus id olitor dixerit.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XVII.
De vsu strictim.

ARtes hæ, de quibus disputamus, possunt di-sci, tum præceptis à summis viris iam vsu & obseruatione notatis, tum etiam ex operibus ad illa præcepta expreßis. Quòd si igitur eæ sunt diuersißimæ, vt vidimus, nimirum non eadem nobis in omnibus quærenda & notanda erunt. In Philosophorum igitur scriptis, Analytica maximè ob oculos habebis. In Dialogis, Dialectici officia exquires, interrogando & respondendo. In Oratoribus, cognitâ causâ, videbis omnia genera argumentorum propriorum, communium, communißimorum: sententias Patheticas: sententias ethicas: Elocutionem: Actionem etiam, si potes. In Poëtis quoniam, vt Plato & Aristoteles docent, τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, *hæc vtraq; considerabis, excußis etiam cæteris præceptis Aristotelis, Horatij, Scaligeri, aliorum. In historicis, rerum* προφάσεις, *rerum* αἴτια, *veritatem,* ἐπικρίσεις, *& si qua a-*

lia. Ita non vbiq; procudes nobis odiosissimos tuos syllogismos: sed Historicos tractabis historicè: Poëtas poëticè: Oratores oratoriè: Philosophos philosophicè.

RESPONSIO AD CAPVT XVII.

Vsus in Analysi Ramea quis sit.

VSVM P. Ramus præcipuè celebrauit: ex eoq́; præcepta quarumlibet artiũ declarari demõstrariq́; debere voluit. Cuius potissima vis est, in Analysi operũ, præstãtes per sapientiæ professores, ad artiũ præcepta cõformatorũ. In qua generatim duo spectari possunt: verba & res ipsa. Eaq́; vel coniunctim; si linguæ bonus auctor est, qui proponitur: & discipuli linguarum adhuc studio distinentur: vel seorsim: res sola: si non ita politè scripserit auctor propositus: aut discipuli dudum propædias cursum perfecerint. Ad res quod attinet: Ramus primò omnium artificium Logicum discussit; cuiuscunq; demum facultatis opus id esset, statum rei principem peruestigando: illius partes, & partium particulas diuidendo: tum quicquid inibi rationis esset: quod aut ad illustrandum, aut demonstrandum scribentis scopum faceret, sollerter eruendo. Vbi moris ipsi fuit, vt maioris euidentiæ causa, rationes & argumentum status principale, syllogismi formam excerperet;

ret: iuxta sapientissimam Dn. Philip. lib. 1. Rhetor: tit. de statib. præceptionem: cui postea prosyllogismos, & alias speciales rationes ordine subiungere posset. Logicæ hac obseruatione præmissa: Speciales de rebus obseruationes addidit, è Physicis, Ethicis, Historicis, & alijs philosophiæ partibus: prout se res, de quibus auctor ageret, offerrent. Atque ita verborum copiam selectam: & rerum cognitionem solidam, qualibet ex auctoris prælectione, discipulum iubet, tanquam fructus decerpere: & huc omnem vsus in Analysi, & lectione bonorum auctorum, operam referre.

Quid hîc cauilli Peripateticus admiscet? Somnia sua, de vanissimo *Dialectices ab Analytica* discrimine, toties explosa repetit: *Dialecticam solis Dialogis* attribuit. *In oratoribus spectari vult argumenta propria, communia, communissima.* Breuiter vult: *vt Historicos tractemus historicè: Poëtas poëticè: Oratores oratoriè: Philosophos philosophicè.* Quid hoc rei? Omnes hi disserunt, & disputant: de rebus quisq; suis. Si igitur singuli singulari modo rationis sunt tractandi: singulis erit sua rationis differendi ars attribuenda. Nónne verò Logica est generale instrumentum: qua vnica, & eadem, sicuti sunt auctores vsi in contexendo suas meditationes; nos ijsdem non vti possumus in retexendo? Nónne Philosophus cùm de rebus vtilibus

bus disputat, & rei veritatem inquirit: certum sibi thema proponit: quod argumentis confirmet: & homines edoceat? nónne colloquentes de certa re disceptant: cuius rationes alter inquirat; alter reddat? nónne Oratores, certum sibi præfigunt statum, cui persuadendo fidem faciant? nónne Poëtæ versantur in descriptione rei cuiuslibet, quam certis argumentis effingant? nónne res gestas Historicus ex suis accuratè circumstantijs describit? Nemo negabit, scio. At hoc omne nihil aliud est: quàm certas res, in certo statu sibi propositas habere: qui sit argumentis confirmandus & illustrandus. Argumenta autem omnia generalis & vna docet Logica: quibus non modò colloquentes: sed etiam Oratores, Poëtæ & Historici semper sunt vsi.

Ad Logicum igitur quod attinet vsum: non potest is alius esse in alijs scriptoribus: quia omnes eadem ratione naturali sunt prædit: quicquid delires tamen cum tuis *proprijs, communibus, & communissimis*, argumentorũ portentis. Quod tu putas in Oratorum scriptis solis habere locum: vt cognito statu, pòst inquirantur argumenta, ad eius confirmationem adducta: id in Poëtis æquè obtinet: in Dialogistis: & in Philosophis: quibus certum thema proponitur demonstrandum. Et licèt Historicus in rebus gestis duntaxat enarrandis sit occupatus: illarum tamen semper

Futilis distinctio vsus Logici diuersi in auctorib.

per

per eſt aliquod ſummum caput: quod per argumenta omnium circumſtantiarum eſt explicandum; immò ſæpiſſimè confirmandum; vt ſit tantò magis probabile.

Ad ſpecialem verò in pædiæ partibus: hîc nuſquam fuit vnquam à Rameis confuſus: ſed in qualibet analyſi cuiuslibet operis diſtinctè propoſitus, per obſeruationes, & axiomata, Ethica, Phyſica, Politica. Sententiæ enim *Patheticæ & Ethicæ*, non in ſolis ſunt Oratoribus obſeruandæ: quod tu profers ineptiſſimè: ſed in alijs etiam rerum ſcriptoribus aliarum. Et quamuis in Phyſicas acroaſes rariùs Ethicæ deſcendant poſitiones: in Dialogis certè nihil eſt Ethicis, & Patheticis ſententijs frequentius: vt Platonis & Luciani probant Dialogi: qui ſæpiùs integri de virtute, vel aliquibus ipſius ſpeciebus conſcripti. Sic in hiſtorijs quid inuenimus aliud: quàm virtutum Ethicarum, interdum etiam Phyſicarum paradigmata? Quid dicam de Poëtis? ſi vſquam Patheticæ ſunt, & Ethicæ ſententiæ quærendæ: nuſquam celebriores & inſigniores illæ. Elocutio autem debet, & poteſt vbique ſpectari: etiam in Philoſophorum diſputationibus: quamuis hîc paullò minor eius ſit vſus. Niſi velis dicere Ciceronem in Officijs, in quorum deſcriptione Philoſophum agit, elocutionis, in ſchematis ornamenta non adhibuiſſe.

Analysis in omnibus auctoribus similis.

Vsus igitur in omnibus omninò scriptorum operibus resoluendis est vnus, & idem: vt sermonis primùm disquirat elegantiam, in Grammaticis & Rhetoricis: dehinc rationis dissertationem in Logicis: postea Physicas & Ethicas notiones in ijsdem artibus. Vsus hic vbique seruandus, & in genere tenendus: quamuis in diuersis operibus maior est ipsius, in vna aliqua arte, ratio habenda: interdum alicuius penè nulla: quod in rebus ipsis, non in vsu positum.

Puerilis igitur hæc ineptia Scherbi: quod *Historicos historicè, Poëtas poëticè, &c.* tractari iubes. Omnes enim primùm Logicè tractandi qualescunq; sint: deinde, si bonus sit sermo, etiam Rhetoricè, & Grammaticè. Postea sicubi Physicæ res occurrerint: ibi Physicè: si verò Ethicæ: ibi sunt Ethicè commentandi. Sic enim in vsu Liuianæ historiæ, Logica spectabitur in varijs rerum gestarum descriptionibus. Deinde Grammatica & Rhetorica, in sermonis nitore. Postea Ethica, in exemplis virtutum & vitiorum. Interdum etiam Physica: Si quid occurrat, ad ipsius decisionem spectans. Sic in Georgicis Virgilij: primùm Logica videbit Rationem, videlicet operis totius summam, per partes connexas: item argumenta, ex quibus singulæ partes sunt descriptæ. Deinde Grammatica & Rhetorica sermonem. Postea Physica res naturales. In-

terdum

terdum etiam Ethica: si quid ad se pertineat. Sic in Menone Platonis, primùm Logica disputatio: Deinde sermo: Postea res ipsa, virtutis nimirum descriptio in Ethicis connotanda. Et ita de similibus iudicandum, vt artium generalium prior; specialium posterior ratio seruetur. Sed, quid dicam de veritate? illáne tibi tantùm spectabitur in historia? Ita quidem dicis. Ergò in Philosophorum scriptis, & Oratorum disceptandis controuersijs non attendetur. Quod enim in vna seorsim spectandum: id in altera non habebit locum. O callidum Peripatetici præceptum! Nobis autem melior mens est: vt spero: qui veritatem volumus vbiq; spectari: & idcircò syllogismos nostros, quos tu vocas *odiosissimos*, vbique procudimus.

Quid autem causæ Peripatetice: quòd Logicam Analysin, tanto persequeris odio: cùm Syllogismos ex auctorum operibus summatim decerptos, *odiosissimos* proclames? Nónne cùm præceptor artificium Logicum cupit ex oratione Ciceronis eruere: rectè procedit: si statū cognito, peruestiget argumenta principalia statum confirmantia? His autem cognitis, vt tirones argumentorum vim rectiùs introspiciant: nónne prodest, argumenta cum quæstione in syllogismi formam redigere: vt videri possit: vtra pars antecedentis sit τὸ κρινόμενον: quod prosyllogismis stabiliendum sit

vlte-

vlterius. Nónne ſic eximia ſyllogiſmorum doctrina transferetur ad vſum, meliusq́; dignoſcetur? Nega ſi potes. Quid igitur inuidiæ vel odij te mordet: vt hæc analyſeos optima ratio tibi ſit odioſiſſima? *Præceptum hoc*, inquit Dn. Philippus 1. Rhetor. de ſtatibus, *leue ac puerile* (adde etiam cum Scherbio odioſiſſimum) *videtur in ſpecie, ſed vtilitatem habet maximam. Neq; verò tantùm ſtatus obſeruandus eſt: ſed quia ferè quælibet controuerſia vnum aliquem præcipuum ſyllogiſmum continet, is quoq; Dialectico more breuiter excerpendus eſt, vt nuda & breuia membra intuentes rectiùs iudicare poßimus.* Ec ſcabiem Scherbi ſcabe: Conatur hic etiam procudere ſuos *odioſiſſimos* ſyllogiſmos.

Sed ad finem propera: nihil enim iuuat immorari leuibus hiſce nugis, & puerilibus ineptijs: quæ magna ex parte profluunt ex Apodictica idololatria.

DISSERT. SCHERB.
CAPVT XIIX.

Vide Paul. ab EitZen in quæſt. Lib. 9. vlt.

Vide Cardan. de Subtil.

Non eſſe in omnibus diſciplinis vtilitatem ſpectandam.

PErcrebuit per nouos Philoſophos noua quædam, vel potiùs renouata opinio, inania eſſe ea omnia, & ſophiſtica in Philoſophia, quæ ad vſum nullum in vita humana poßint reuocari.

Qui

Qui si de artibus, aut scientia ciuili loquerentur, fortaßis non magnopere repugnarem. Nunc quia vniuersè hoc disputant, valdè profectò miror inueniri homines, qui se homines esse negent. An non enim omnes naturâ sumus appetentes cognitionis, quamuis nulla vnquam vtilitas inde sit sequutura? quippe discendo constituitur animus in statu naturæ consentaneo, auctore Aristotele: & scientia est per se, vt ait Eustrat. perfectio mentis humanæ. An non etiam omnes naturâ gaudemus sedium mutatione & peregrinationibus, quòd multa noua quotidie videamus, ob idq́ propè aßiduè discamus? idq́ non semper propter molam farinariam aut vllum vsum, sed quia animo non potest offerri pabulum cognitione iucundius. Nam vt animal constituitur per αἰσθάνεσθαι: *ita homo maximè propriè per* ἐπίστασθαι: *siquidem ab omnibus alijs animantibus differimus, quoniam scientiæ capaces sumus, & veritatis sensum habemus, vt docet Alexand.* ἐνέργειαι *autem* καθ' ὅ ἐστιν ἕκαστον, *vnamquamq́ rem perficiunt. Atq́ hinc quidem fit, vt ab ineunte ætate simus* φιλήκοοι & φιλόμυθοι: *Et idem Alexand. eos pueros cæteris anteponit, qui studiosiores sunt fabellarum:*

quia ea admirabilibus constant: in admiratione autem inest quædam discendi cupiditas. Præterea, an non theoreticus intellectus in sese tanquam circulus redit, cognoscens vt cognoscat? Nunquam discemus distinguere Philosophiam theoreticam (quæ est ὄρασις τῶν θείων) à ciuili (quæ est περὶ τ' ἀνθρώπινα) & ab artibus? Deniq; quid respondebimus Ciceroni, qui ait, inprimis hominis esse propriam veri inquisitionem atq; inuestigationem: & addit: Itaq; cùm sumus necessarijs negocijs curisq; vacui, tùm auemus aliquid videre, audire, ac discere, cognitionemq; rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad benè beateq; viuendum, necessariam ducimus. Quid respondebimus etiam summo Alexandro, qui libro quarto, problem. XX. ex rei natura hoc conficit, non esse vbiq; quærendum vtile. Ac præstat fortaßis eius quædam verba adscribere:
» *Qui, inquit, in omni actione, & omni di-*
» *sciplina, id quod est vtile, exigit, & nihil di-*
» *scere vel agere, quod non sit vtile, sibi in ani-*
» *mum inducit, is aliquid esse bonum, & per se*
» *eligendum perimit: Siquidem quod vtile*
» *quidem est, fit alicuius aliûs gratia, ad quod*
» *vtile est: quod autem alicuius aliûs fit gratia,*

cum

cùm ab eo id quod est eligendum habeat, ab illo etiam habet, vt sit bonum. Quicquid autem est vtile, est boni alicuius efficiens. Sed si id quod per se bonum est & eligendum, est eo magis bonum, quod ab alio bonum habet: qui id quod est vtile, in omnibus requirit, esse aliquid propriè, & per se perimit. Præterea, qui id solum, quod est vtile, bonum, & eligendum esse dicit, aliquid etiam esse vtile tollit. Si enim quod est vtile, tanquam boni efficiens eligendum est, & vt sit bonum, habet ab eo, quod fit ab ipso; Nihil autem est eiusmodi eorum sententia, quibus solum est eligendum, non fuerit vtile, eo sublato, propter quod id, quod est vtile factum, in se habet, vt sit eligendum, si enim quod est vtile, vtile sit, quod sit alicuius vtilis boni efficiens: erit quidquid fit ab vtili, vtile, quod eo, quòd sit vtile, ad aliud rursus relationem habebit. Sic autem procedet in infinitum, dum semper id, quod est vtile, eo quòd aliquid facit, sit vtile: id autem quodcunque id sit, quod ab vtili efficitur, ipsum quoque vtile existat. Cùm hoc autem sic habeat, ne vtile quidem adhuc vtile manserit, cùm non sit extremum aliquod, quod eo, quod per se sit eligendum & bonum, & ijs, quæ ad ipsum conferunt,

» *& ad ipsum sunt vtilia, vt talia sint præstitit.*
» *Quemadmodum enim si non sit eligendum id,*
» *quod sit, nec quod ad id quidem vtile est, fue-*
» *rit eligendum: sic nec quidpiam eorum, quæ*
» *sunt ad vtile vtilia, id quod est, eligendum ha-*
» *buerit, quòd nihil eorum, quæ ab ipsis fiunt, sit*
» *propter se eligendum: siquidem absurdum est,*
» *aliquod esse bonum perimere: perimitur au-*
» *tem eorum sententiâ, qui dicunt, vtili tantùm*
» *esse studendum, vt ostensum est. Absurdum*
» *autem etiam dicere, nihil esse vtile: quod i-*
» *psum etiam tollunt, qui vtili tantùm studeri*
» *dicunt.*

RESPONSIO AD CAPVT XIIX.

DIGNA sanè capitis huius materia; quæ postremum sortiretur locum: vt ex fine iudicari tota res posset: qui qualis esset; talis etiam Dissertatio censenda: iuxta tritum vulgi sermone verbum: *dignum patella operculum.* Quia autem de vanitate paradoxi huius in Dissertatione mea satis copiosè bis terúe dictum: & ex aduerso contrarium: quòd spectanda sit in disciplinis omnibus vtilitas, euidenter enucleatum: nolo lectorem repetendis ijs onerare. Breuiter igitur hîc delibabo dun-

duntaxat, quod medicus ad hanc etiam ſcabiem profert in medium ſanandam.

Nouam dicere vult hanc opinionem. Sed falſitatis ſibi conſcius addit: *vel potiùs renouatam.* Quippe non ignorat hanc antiquiſſimam, & ab initio conditarum ſcientiarum non ſemel controuerſam. Quibus autem probat rationibus vtilitatem non ſemper in diſciplinis ſpectandam eſſe? *Omnes ſumus appetentes cognitionis: quamuis nulla ſit vtilitas ſecutura: ſcientia eſt perfectio mentis humanæ, &c.* Verùm quis credet tibi Scherbi ſic pueriliter argutanti: quod pro confeſſo tibi ſumis, id eſt, illud ipſum: quod in controuerſiam vocatur.

Scientiam appetimus vtilitatis gratia.

Quippe quòd ſcientiarum cupiditate ducimur: id ſemper fit vtilitatis gratia: vel certè fieri debet. Omnis enim actio noſtra debet ad certum collimare ſcopum; qui poſitus eſt in hominis ſalute, cùm publica: tùm priuata iuuanda: & hic omnis ad Dei gloriam promouendam. Hoc S. ſcriptura toties inculcat: hoc hominis finis efflagitat: hoc ipſa natura dictat. In hoc ſolo conſiſtit humanæ naturæ perfectio: huc tendit: huc cùm peruenit, tùm deniq; ſecurè quieſcit.

Finis hominis ſupremus.

Amoue mihi hunc obicem, ſi potes, Scherbi: *Omnia ad gloriam Dei facite*: inquit ille: noſtin'? *Diliges Deum ex toto pectore, proximum ſicut teipſum*: ſic inquit alius. Quicquid igitur agimus ad Dei gloriam promouendam: ad

proximi salutem iuuandam spectare debet: siue in priuata: siue publica vita. *Hoc discendo constituitur animus in statu naturæ consentaneo: hæc est perfectio mentis humanæ.* Scientiæ igitur illius, cuius in vita nullus, præter ipsam scientiam, sit vsus: cuius in Repubublica nulla vtilitas, in proximi salute iuuanda nulla commoditas: in Dei gloria promouenda nulla facultas: studium non modò non laudandum: sed exsecrandum modis omnibus: quòd à vero nos abducat humanæ vitæ scopo: & in vanitatis humanarum speculationum diripiat abyssum.

Quorsum enim istud ociosum viuendi genus: quòd se in contemplandis eiusmodi rebus oblectat: quarum scientia *non potest ad vsum in vita humana reuocari: sed in se tanquam circulum redit?* quas illius olim reddes summo iudici rationes? tantúmne abs re tua ocij tibi; illa vt cures: quæ nihil ad te attinent? vt cum Comico loqui liceat: itáne vitæ nostræ tempus inutilibus impendimus; quod à Deo nobis ad ipsius gloriam collustrandam benigniter est concessum? Proh hominum fidem! Quis vnquam credidisset: ita quosdam stultescere Christianæ gentis homines posse: qui dicerent: esse multa discenda, quæ *non possent ad vsum reuocari in vita humana.*

Quod non reuocatur Audi tu Scherbi: si non possunt *ad vsum multa reuocari, quæ discimus; sed in se tanquam circulus* rede-

redeunt; inutilis hic labor est; inutile tempus; inutiles sumtus; quos discendis his impendimus. Vsum quod nullum habet: id inutile rectè quis dixerit: nemo sanus hoc negabit. At hoccine Christiani hominis? inutilibus incumbere: cùm ad vtilitatem proximi & gloriam Dei in lucem simus hanc editi? maximè cùm tantillum sit cuiq; temporis concessum; quod ad centesimam *de rebus necessarijs* partem non sufficit exsequendam? Quàm verè dixisti Seneca! *Maxima pars hominum consumit tempus ætatis aliud agendo.* Quàm prudenter, quàm cautè monuisti! quòd *etiamsi multum superesset ætatis, id parcè dispensandum erat, vt sufficeret necessarijs. Nunc quæ dementia est*, audi Medice, *superuacua discere in tanta temporis egestate.* Quantò meliùs Plato Philosophus ille præstantissimus, artes & scientias probauit illas; in *quibus grata de Deo fama sparger etur*: & hunc ipsis finem proposuit: *grata Deo facere atq; dicere*: non ociosè speculari, & inanibus pascere se contemplationibus.

ad vsum: est inutile.

Ducimur itaq; scientiæ desiderio naturaliter: sed ducimur ad certum finem: de rebus in vita necessarijs, & vtilibus. Tu proba: quòd etiam naturaliter simus appetentes cognitionis rerum: quarum nullus in vita sit vsus: aut hoc argumento probasti nihil.

At *peregrinationibus natura gaudemus*, inquis, *non semper ob vllum vsum: sed propter voluptatem cognoscendi.* Sit sanè, quòd aliquis solum spectet

Peregrinationes suscipiuntur

vtilitatis gratia. illud mentis pabulum. quid tum? Multi multa conantur, vanam vel nullam sibi proponentes vtilitatem. Verùm hoccine satis erit ad demonstrandum: *quòd non semper vtilitas spectanda? Vagari, lustrare, discurrere quiuis potest: pauci verè peregrinari, hoc est, verum finem fructumq; sibi proponere: quem adferre debet peregrinatio, si consilio sit & ritè instituta: nimirum prudentiam, scientiam, & mores*: prout accuratè differit in epistola XXII. ad Philip. Lan. cent 1. Iustus Lipsius. Stulta igitur, & futilis eiusmodi peregrinatio, sine vtilitate suscepta, nobis præiudicare nihil potest: sicuti neq; vos quicquam detrahere potestis huic veritati: quamuis in vanis, & vagis maiorem ætatis partem speculatiunculis vobis consumere sit volupe: *Cùm vos maceratis & torquetis in eiusmodi quæstiunculis: quas contemsisse, quàm soluere subtiliùs esset*: vt de vobis Seneca dicit in epistolis. Quippe non quæritur: ecquid aliqui reperiantur non spectantes in disciplinis & studijs suis vtilitatem: sed ecquid illa iure non debeat in omnibus spectari. Quod ita demum probaueris: si rebus inutilibus homini operam dare fas erit. Peregrinationes igitur non ob ociosum mentis suscipiuntur à prudente pabulum: Sed vt vario vsu rerum prædíti rectiùs, & Rempublicam & alia vitæ munera sustinere possimus.

Sic omnibus omninò scientijs, & artibus incum-

incumbimus, ob hanc causam: quòd illarum nobis vsui sit in vita cognitio futura. Quem si nobis ex ea cognitione spondere non possimus: discendo nihil alud agimus: quàm quòd tempus inutiliter perdimus: idque perditum Deo, & hominibus iniquissimè subtrahimus.

Dementes igitur estis, & impensè stolidi, secundum Senecę sententiam; qui non modò toleratis hoc admissum: sed pertinaciter defenditis: vt superuacuis operam nauare liceat. Superuacua enim sunt omnia: cùm quæ nullam de se præbent in vita humana rectiùs peragenda commoditatem: tùm quibus sine detrimento carere possumus.

De theoretico quòd gannis intellectu; deque distinatione futili theoretices à practice, suprà pleniùs discussum fuit: & demonstratum nullas esse theorias bonarum disciplinarum in sese redeuntes, & in sola sui notitia conquiescentes. Et cùm hîc Theoreticen definis θέαμα τῶν θείων: ecquid diuinarum rerum contemplatio nullum habet in humana vita vsum? frustra diuinis operam tribuimus? cùm in ciuili quoq; disciplina potissima pars sit de rebus diuinis?

De Cicerone quid vir bone mussas? *cognitionem occultarum, & veri inquisitionem hominis propriam esse dicit.* Quis negat? At illarum dicit rerum & illas scientias, *quæ ad benè beateq; viuendum necessariæ sint.* Huiusmodi verò res ecquid

sunt ociosæ speculationes; quæ nullum de se præbent vsum? Quasi verò: quid illæ faciunt ad beatè viuendum. Ecquid est beatè viuere: si te maceres, & torqueas in rebus: ex quibus cognitis, & magno labore peruestigatis nihil habeas: quod ad hominem, vel Deum referas? Negat hoc sana Philosophia: & procul dubio negaret ipse Cicero. Immò suis hoc disertè negat exemplis: qui cùm multum studij Philosophicis impenderit; illis ferè rebus impendit duntaxat: quarum in vita maximè ciuili permagnus apparet vsus, & ad benè viuendum commoditas. Quod igitur condiscimus, & inuestigamus ad benè beateq; viuendum: propter vtilitatem magnam perdiscimus.

At Alexandrum nobis obtrudis summum: vah! *obstupui steteruntq́ comæ*: & vox faucibus hæsisset: nisi vidissem postea non esse Magnum illum magnæ Monarchiæ principem: magnus à quo, præ nimia fortitudine, metus: sed vnum quempiam ex Aristotelis interpretibus *aculeatis, & obscuris: qui detorquent rectissima ingenia, & in acuminum flexuosos labyrinthos abducunt à vero Philosophiæ fine*: vt idē Iustus Lipsius, Ramo licèt inimicus, ex mente Rami differit, in epist. ad Paul. Busium, centu. I. Quid ille quæso: *ex rei natura conficit: non esse vbiq; quærendum vtile.* Quomodo? Medicus Alexandri verba adscribit: sensum verborum, cui libet, & qui potest diuinatione, & coniecturis adsequen-

quendum relinquit. Tam enim ſunt omnia obſcura: tam perplexa: tam diſtorta denique: vt fortaſſis ipſemet enucleare mentem nequiuerit: quod certè muneris ipſius fuiſſet: cùm non ignoret craſſa nimis, & tenebricoſa nobis capita: quæ ſubtilitatis huiuſcemodi capacia nunquam fuerint: etiamſi purget ea Carneades helleboro. Neq; aliam cauſam video, cur id teſtimonium, cui tantopere fidit, adplicare ſuæ opinioni, & explicare noluerit: niſi quòd ſperaret, ita nobis fucum ſe poſſe facere: ſi perplexitate deterriti, non poſſemus in illud, quod ex rei natura demonſtrat, penitiùs inquirere. Verùm ſicuti Iuriſconſulti non accipiunt teſtimonia, quæ ſunt obſcura, varia, & perplexa; ſic nullius aſſis ęſtimabimus hoc etiam: niſi craſſa Minerua nobis illius ſenſus producens aperuerit: & vtilis naturam, de qua more pugnat hîc Andabatarum, in hac ſpecie vtilitatis explanauerit; vt ſciamus, quid vtile vocet: & quare non ſemper id ſpectandum ſit. Hoc enim cognito: *ſummo* quid etiam *Alexandro* reſponſi dandum ſit: facilè videbimus.

Vtilia tantū diſcenda, docenda.

Interim, quod alibi copioſiùs eſt approbatum, firmiter tenemus: illa tantùm pro ſapientiſſimo Philoſophi veteris apophtegmate diſcenda iuuenibus: *quæ viris ſunt vſui futura*: & illis tantùm diſciplinis incumbendum: ex quibus ad vitam humanam meliùs degendam

dam vel publica vel priuata poſſit vtilitas honeſtè parari: vt vel noſtram proximiq́; cauſam iuuemus: vel Reipub. prodeſſe poſſimus: omnia autem ad illuſtrandam Dei gloriam referamus. Quod qui negant: illi reuera *ſe homines eſſe negant*: quòd finem hominis, ad quem conditus eſt, aut abnegent: aut ſaltem vanis atq; futilibus ſpeculatiunculis obſcurent. Cuius omnes illi procul dubio criminis ſunt rei: qui potiſſima literarum nolunt *ad vtilitatem in vita humana reuocari*: ſed ad ſolam contemplandi, & ocioſè ſpeculandi libidinem: ex qua nullus decerpi fructus ad iuuandam vitam queat: ſed *quæ cognoſcat: vt ſe cognoſcat: & in ſui cognitionem redeat*: nec ad alios vſus euagetur: prout expreſsè diſſerit hic Peripateticus noſter. Quamuis non vna de cauſa ſit hoc hominum tàm publicis quàm priuatis commodis pernitioſum: & in ipſum Deum creatorem patremq́; generis humani non leuiter iniurium.



EPI-

EPILOGVS.

ET hæc habe tibi, Clarissime Scherbi: quæ pro defensione Philosophiæ Rameæ, quam fœdissimè conspurcare tibi libuit, in Dissertatione tua, pro ratione temporis, animaduertere necesse fuit: vt innocentiam & integritatem cùm doctrinæ huius, tùm Auctoris ipsius, iuxta mandatum Decalogi, tuerer, aduersus calumnias, & testimonia falsa, multis in locis scripti tui confertim profusa. Vnicus enim tibi fuit in hac Dissertatione scopus hic: vt P. Ramum, virum de studijs artium liberalium, præstantissimis omnium nationum Philosophis pluribus hoc attestantibus, præclarè meritum; & ipsius scripta in conscribendis artibus, quæ breuitatis perspicuæ, veritatis, & ordinis optimi laudem sunt apud omnes, qui rectè iudicant & incorruptè, consecuta, quantùm posses, conuicijs proscinderes, suspicionibus perniciosissimis aggrauares, ignominiæ turpissimæ quaq; labe conspergeres, deniq; radicitus exstirpares, & imperitæ iuuentuti, teterrimæ pestis instar, exosam redderes.

Quod vt euidentiùs exhiberes: à professione tua Medica nactus occasionem, Philosophiam P. Rami, proper sinceritatem, multis in Europæ totius scholis & Academijs, ab excellen-

cellentissimis quibusq;, receptam Doctrinarum professoribus, scabiei morbo, qui vulgo solet abiectus & humilis haberi, comparare; & illius in te curationem suscipere te non puduit. Quo quid vel pingi, vel fingi scabiosius à quoquam posset, in Philosophiæ nostræ perniciem? Illud doctrinæ genus, quod ad curandos ingenij næuos, & ad subleuandam mentis imbecillitatem comparatum credimus, ita vulgo traducere, & tàm exquisitis onerare conuitiorum plaustris: vt fætidus ingenij morbus, & sapientiæ comparandæ nocentissima pestis habeatur? Huc enim comparati sunt isti calumniarum flosculi: quòd

Cap. 1. Ramus *ingenti fastidio, & contemtu insolenti veteris omnis Philosophiæ, cum perpetuo innouandi pruritu, laboret: quòd ex mera ambitione, vt alios opprimendo solus superesset, Aristotelem depresserit: Quòd nouus sit Stoicus, & omnis Philosophiæ deprauator: quòd artes mutilauerit: confuderit, castrauerit, exciderit, &c.*

Cap. 10.

Ex quibus omnibus cùm minimum non probaueris, nec in æternum probare possis: sed ex odio tuo inueterato, & exacerbata inuidia, loco probationis, aut calumniarum, conuiciorum, scommatum, sannarum, & ironiarum tela proieceris: aut argutiolas partim pueriles & ineptas, partim sophisticas & contortas obieceris: ignosce quæso: si forsan alicubi tibi videar asperior: & hoc perpende: quod

quòd tu prior, à nemine quod quidem ſciam, laceſſitus in nos impetum magna vi feceris: quòd prior incomparabilem virtute doctrinaq; virum P. Ramum conuicijs præmeditatò proſcideris: quòd grauibus eiuſdem præclara de liberalibus artibus opera calumnijs inſectatus fueris. In quibus, quod omni iure licet, modeſtè retorquendis, & in ſuum auctorem repellendis, ſi quid defenſandi honoris Ramei Rameæq; doctrinæ cauſa dictum fuit: quod aliâs eſſet indignum perſona tua, ſcito mihi non cum Dn. Philippo Scherbio Medico clariſſimo & nobiliſs. Altorfini Lycei Profeſſore rem eſſe: ſed cum eiuſmodi quodam Peripatetico: qui virum bonum, & publicè receptam doctrinam, contra diuinum præceptum, contra iura ciuilia, contra magnorum præclara teſtimonia, contra Philoſophiæ & veritatis principia, vel ex inuidia, vel erronea perſuaſione, & inſano Ariſtotelis amore, ſine veris rationibus, erroris, falſitatis, confuſionis, ambitionis, inſolentiæ, & breuiter deprauationis totius Philoſophiæ, publicè reum facere, ſed vano conatu, conatus fuerit.

Intra hos enim mihi limites tecum controuerſia maneat concluſa. Intra quos te Philoſophum ſincerum, virum candidum, publiciq; commodi in rectè inſtituenda iuuentute ſtudioſum non agnouero: priuſquam ritè

proba-

probatum dederis id omne: cuius in Dissertatione tua P. Ramum, & ipsius doctrinam insimulare tibi lubitum fuit. In alijs, vnà cum alijs, habeo te virum excellente doctrina magnum, Professorem nobilis Academiæ Clarissimum, Medicum præstantem: & si quid amplius de te dici possit.

Neq; verò, vt famæ tuæ, vel existimationi quouis pacto detrimentum inferrem: aut ex hoc scripto gloriolæ quicquam, etiamsi contingere posset hoc, aucuparem: sed vt innocentem virum, & insontem doctrinam, contra falsas obtrectationes defenderem: & pro meo talento mihi concredito, publicam iuuentutis informandæ salutem, ne calumnijs eiusmodi fineret ab expeditissima & commodissima discendi via se deterreri; promouerem: in hanc me, contra te, palæstram paullisper à studijs meis digressum bona fide fuisse, renium scrutator Deus, & animus mihi boni veriq; conscius, hac in causa testis est, & esse locuples debebit.

Quod tamen non ita velim accipias: atq; si cæco colendi præceptoris P. Rami amore tractus, in omnibus omninò causis, illius (quem non diffiteor humanitus erråsse, in casibus quibusdam, licèt admodum paucis: in quibus ipsum minimè defendo, neq; probo) patrocinium susceperim: quod tu tuiq; similes in Aristotele vestro propugnando facitis:

citis: ſed quòd in hac Diſſertatione tua nihil penitus offenderim: quod ex fundamento veritatis intentatorum criminum poſſet eum vel in minimis conuincere: vel ipſius dogmata, quæ tu carpere voluiſti, refutare.

De me ſanè, ſi voles, hoc tibi recipio: quòd, ſi quidpiam certis & euidentibus argumentis, non ex Ariſtotele, vel Interpretibus ipſius, ſed ex *humana ratione per normas certitudinis, indagatis*, in hiſce controuerſijs, Ramei peccati vel erroris oſtenderis: in eo mox caſtra tua ſequi paratiſſimus ero. Quod ſi facere vel non vales, quod verum magis arbitror: vel non voles, quod vix credo: permitte quæſo nobis, iſtac pacatè inambulare Philoſophiæ poſthac orbita: quam ſatis planam nouimus vnam, & compendioſam: donec tu, vel alius quiſpiam, meliorem & expeditiorem demonſtraueritis.

Cùm enim tibi tuam in Academia libenter Altorfina linquamus philoſophandi rationem, & ſummam apud diſcipulos tuos auctoritatem; concede quæſo nobis in noſtris æquè ſcholis: vt illud bona cum pace diſcipulorum inſtillare mentibus queamus: quod certò ſcimus, verum eſſe, iuſtũ & ſapiens, ac omninò tale: quod ipſis in ciuilibus & priuatis negocijs, & in quibuſcunq; rebus alijs, ad vitam pertinentibus humanam, commodo ſit & emolumento poſtea futurũ. Concede quæſo:

nec per eiuſmodi turbas importunè te medicum noſtris obtrude diſcipulis: priuſquam ad medicinam faciendam arceſſaris. Noli morbos illorum curare: priuſquam rectè perſcrutatus fueris: ecquid morbo correpti ſint; & ſi ſint: ecqua morbi ſpecies; in qua deſignanda te dubitatione craſſa diſtineri fateris in principio ſtatim curationis tuæ. Inprimis autem honoris te tui cauſa moneo: quia Medicus es Academicus, & rationalis, vt vulgò vos ipſos indigitare ſoletis: vt à tam ſcabioſa morbi viliſſimi cura, tua perſona vehementer indigna: cuius ipſos penè pudet Aliptas & Chirurgos: quamque nulla non perficere poteſt anus; poſthac cautiùs abſtineas: ne vilis à ſcabiei curatione ſordeſcens, ipſemet ex ea ſcabioſè vileſcas: & apud emunctæ naris homines ſubolere ſcabioſos forſitan incipias.

Quòd ſi tamen ita inſatiabile te curandi cacoëthes inceſſit: ipſummet te cura Medice: hoc eſt, Philoſophia, ex cuius ſubſellijs in altiorem cathedram Medicæ facultatis honorificè tranſſilijſti, relicta, Medicinam tuam Galenicam reſpice: huic manum medicam adhibe: remedijs hanc efficaciter à præſentaneo periculo defende. Nec enim ſcabie laborat illa iam: ſed exitiali peſte: cui Paracelſus ille, patrum noſtrorum memoria, quem noſti, & hac ætate Gramannus noſter, Medicus in hac Repub. multorum curis felicibus admodum famo-

famoſus, ante biennium cauſam dedit eiuſmodi: vt duobos ſcriptis in publicum dimiſſis, veſtram quam deducere vultis à Galeno Medicinam, non modò fœda turpiq; notârit ignominia: ſed inſuper eius fundamenta, vitamq; adeò ipſam, ſi non funditus euertere, certè miſerrimè labefactare ſibi in animũ induxerit. Hîc opus eſt cura Medice: propiùs hoc te tangat vlcus: huic laboranti lethifero morbo ſuccurre: & Andr. Libauio, qui ſolus & ex tot Medicis vnus, (quod mirum valdè!) fortunam facultatis ſuæ miſeratus ſe fidenter opponit, ſuccenturiatus, ſicubi deficiat fortaſſis, accede. Hac in cauſa non agitur, de poſt vel ante prædicamentis, non de Sophiſticis argutiolis, non de bruta tui Ariſtotelis materia: ſed de re grauiſſima, ſalute corporis humani vel conſeruanda, vel reſtituenda. Hanc ſi perniciem à ceruicibus veſtræ Medicinæ repuleris planè lethalem: ſurget inde tibi maior gloria: maior ad Rempub. priuatamq; commoditas: quàm ſi triuiales huc illuc ſcholarum perrepas angulos, & inanibus argutiolis animos diſcentium rectè informatos diuexes. Huic igitur potiùs incumbe: pro hac Analyticas rationes, quantum potes, aduerſus Paracelſiſtas exſcribe: in hanc omnes ingenij Peripatetici neruos intende: huc ſubtilitates diſtinctionum tuarum conuerte: hanc, inquam, ſi quid eſt in te virium, diſſertando defende:

dissertatione publicitus emissa protege: scabiosos autẽ illos & miseros Rameos (per sanctum Aristotelis vestri Peripatum te rogo!) cum sua scabie relinque: & posthac in illos æquiore mente viue: pauloq; saniore cum cerebro, longum vale.

FINIS.



Feli[illegible]namq.


[illegible]


[illegible]

Ego [illegible] hu[illegible]

[illegible]

[illegible]





cellanea
cholastica